





LIBROS

EGREGIOS CUMULARE




PRECIARA SPELLEX.

BIBLIOTHECA CORTINIANA.

OF GEMS & GEM-CUTTING

MINERALOGY, EMERALD, AND OTHER BERYLS - CATALOG



EXHIBITION LIBRARIES

JOHN SINKANKAS

MINERALS AND STONES OF NORTH AMERICA - PROSPECTING FOR GEMS



600
1965
Gardner
CST 20.00

PT-1
\$20

Léon Dorey
9 août 76

à Monsieur Adrien Blanchet
Membre de l'Institut
en souvenir de mon cher Papa
et de ma chère maman

Avec les sentiments
de la profonde reconnaissance
de

Léon Dorey

CONTINUATIO
GEMMARUM
QUARISDAM
DACTYLIOTHECAE
GORLAEI.

Ab Anno

1717 usque ad 1725.

Index

LAURENTIO SCORRO

Imprimi Curavit

1725

1725

1725

1725

1725

1725

1725

1725

11.21

JSL
00024229


CONTEMPLATIO
GEMMARUM
QUARUNDAM
DACTYLIOTHECÆ
GORLAEI,

*Ante Biennium
& aucta, & illustrata:*

Instituta
à
LAURENTIO BEGERO,
Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliario
ab Antiquitatibus & Bibliotheca.



Coloniae Brandenburgicae,
Imprimebat ULRICUS LIEBPERTUS, Electoral. Typographus. 1697.





*Overat argentes Aquilo jam sævior alas,
Indueratque rudi glacialia vincula terræ.*

Rediit ad constitutum ETASTES, & solitâ salutatione præviâ, recusam ante biennium GORLÆI DACTYLIOTHECAM producens: Quid, inquit, DULODORE, de hac judicatas? annon egregiè aucta? egregiè illustrata est? Laude suâ, respondit ILLE, opus hoc non caret; Esse tamen quædam, interdum etiam in vulgaribus, quæ certius lumen requirant, omninò est fatendum. Adeonè? subjecit ETASTES, & quænam illa fuerint? Indicabo, respondit DULODORUS, sed ordine eò, quò mihi in mentem venerint, & eâ omninò lege, ut veritatis amore, non intempestivâ pruriginè Tibi videar obtemperâsse. In Gemma 103. me quidem judice, exhibetur

PHAETHON

Stellas fixas incurfans.



Gemm. incis.

Errorem Liceti, excepit ETASTES, mihi videris recoquere. Is Solem hanc figuram statuit, deflectitque ad ampliatum ejus imperium, sicut alii quærun, qui per diem conspiciantur Stellæ? Sed his jamdudum responsum est, cum indignum sit, cogitari de Sole, ubi nulli radii, & contra tot Stellæ. Annon potius sit Bootes, cum Septentrione?

trione? ideo sanè ut rusticus videtur stare in plaustrò, non in fabrefacto curru. Plaustrum, regessit DULODORUS, rem non conficit. Eidem enim insistentem etiam Solem videas, apud nostrum in annulo 77. Et quid? Annon indignum esset, Bootem laureatum procedere? Annon indignum Equorum quadrigis vehi, qui à bobus dictus est? Non Equis, sed bobus & quidem duobus, tantùm, Bootes vehebatur, id quod ex Hygino discimus: Ut taceam, ipsos septem Triones Booti & plaustrum & boves esse. Quì fit igitur, ut in Gemma separatim fuerint expressi? Vides ETASTA, commentum de Boote fragili fundamento insistere. At certè, inquit ILLE, nec Phaethon hic esse poterit, utpote cujus, Ovidio teste,

*Ora pater rapida fecit patientia flamma
Imposuitque coma radios.*

Cùm tamen heic radiorum loco Laurea sit. Quod ad radios attinet, reposuit DULODORUS, fateor dubium suo pondere non carere, nisi Licetus, aut ejus Sculptor, in exigua Gemma, radiorum loco Lauream subjecerit. Id ut omninò arbitrer, facit densa erectorum foliorum congeries, quæ in Laurea solita non est, exigua autem mutatione radios adumbraret. Si hoc Tibi cedam, inquit ETASTES, de Phaethonte tamen nondum persuades, non magis ac de Sole. Quid enim? annon & Phaethon currum ascendit, postquam Stellæ jam diffugissent? Quid igitur Stellæ currum in Gemma ambientes? Intuere Gemmam, respondit DULODORUS, & simul in mentem Tibi revoca tersissimum Ovidii de Phaethonte testimonium. Annon omninò hîc cernitur, qualis

*Mentis inops gelida formidine lora remisit?
Qua postquam summo sensere jacentia tergo,
Exspatiantur Equi, nulloque inbibente per auras
Ignota Regionis eunt, quâque impetus egit,
Hâc sine lege ruunt, altoque sub athere FIXIS
INCURSANT STELLIS?*

Quid clarius? quid concinnius ad Gemmam dici potest? Sed ad alia transeamus! In Gemma 338. mihi videtur exhiberi

H E C T O R,
Suum casum, vigorem, & juventutem lugens.



Nova, inquit ETASTES, de Gemma proposita, hæc est opinio. Hectorem adhuc nemo agnovit, sed vel militem atroci bello superstitem, adeoque pauperem: Vel sanè militem

militem Sagittarium, nudum, & rupi accubantem, manus ambas, circa genu dextrum elevatum, complicatas habentem, vel admirantis gestu, vel miserantis, armaque sua, hoc est pharetram & arcum, arbore suspendentem. Quid ais, DULODORE? Verba hæc esse, respondit ILLE, non rationem, non originem inquire. Hectorem hîc exhiberi, sequentia Pausaniæ persuadent, in Phocicis: Ἐν ᾗ τοῖς κάτω τῆς γεαφῆς κτ' ἐπὶ θράνα ἐστὶ θάμνεν ἕκτορ μὲν καθέζομενος ἀμφοτέρας ἔχει τὰς χεῖρας περὶ τὸ ἀριστερὸν γόνυ, ἀνωμένου χῆμα ἐμφαίνων. *Infima Tabula, post Thracem Thamyrin, HECTOREM habet SEDENTEM, & UTRAQUE MANU LÆVUM GENU PREMEMENTEM, tristi admodum facie, & lugubri habitu.* Quid clarius ad Gemmam dici potest? Imò sunt, inquit ETASTES, quæ assensum morantur; *Primò* enim non genu sinistrum, sed dextrum in Gemma amplectitur sedens: *deinde* Hectori licet Clypeus conveniat, non tamen conveniunt Arcus & Pharetra ab arbore suspensi: Ut taceam barbam, quâ Hector & apud Seguinum, & in Musæo S. Genouevæ visitur ornatus. Quod barbam concernit, respondit DULODORUS, dubium evanescit, cum utique non barbatus tantum in allegatis, sed & imberbis in Tabula Iliacâ apud Celeb. Fabretum non semel occurrat, & juvenus Hectoris concinnius sine barba adumbratur. Quod de genu dextro moves, nec ipsum alicujus momenti est; Figuræ enim Gemmis incisæ, si in Gemma dextræ appareant, ex Gemma expressæ, sinistra sunt, & vice versa: Adeò ut Sculptoris vitio partem dextram exceptam dicere liceat, quæ si ad historiæ fidem respicias, sinistra esse debuisset. Ut de Pharetra & arcu satisfaciam, omninò monendum, Hectorem hîc pingi, non qualis contra Græcos præliatus est, sed qualis ab Achille occisus, in Inferno casum suum luxisse credebatur. Id non tantum ex Pausania adstruxeris, qui in Tabula Polygnoti, quâ Ulyssis ad Inferos descensum adumbravit, eum talem fuisse memorat; Sed etiam ex Homero, qui cum Hectorem, ab Achille lethali vulnere prostratum, per animam & *genua* Victori supplicasse, ne se canibus dilacerandum objiceret, nec tamen obtinuisse, ideoque etiam Achilli dirum exitum imprecatum memorasset, subjicit:


Ὡς ἄρα μιν εἰπόντα τέλει θανάτοιο κάλυψε,
 Ψυχὴ δ' ἐκ βέβητων πημένη αἰδώς ἢ βεβήκει
 Ὀν πότμον γούσασα, λίπεσ' ἀδρόπῃτα καὶ ἦβην.
Sic igitur ipsum locutum finis mortis cooperuit:
Anima autem è membris volans ad infernum ivit,
Suum casum lugens, relinquens vigorem & juventutum.

Ex his, inquit ETASTES, equidem de tristitia & juventute patet, de Pharetra autem & Arcu nondum patet: Et quid arbor, cui appensi sunt? Arborem, respondit DULODORUS, in inferno non miraberis, cum & Orpheum arboris trunco acclinem, lavaque Salicis frondes contrectantem, quas *Lucum Proserpina* Pausanias interpretatur, in eadem Tabula pinxerit Polygnotus. Arcum & pharetram ad Apollinem retulero, cujus auxilio Hectorem apud Homerum Juppiter commendat, quique eundem etiam in allegata Tabula Iliaca sublevat, unde & Lycophroni τρέφει πῶς πατρὸς, *Alumnus Ptoi patris*, aut *Apollinis*, dicitur v. 264. seq. Incongruum scilicet non videtur, si Hector, postquam occubuit, inane & Dei auxilium, inane & Clypei sui præsidium, etiam apud

6.

Inferos deplorans, nobilissima hæc in Gemma credatur adumbratus. Succedit in Gemma Annuli 132.

LUSUS CUPIDINUM.



Cupido *incis.*

Hoc modò, subjecit ETASTES, Laur. Pignorium in Symbolis Epist. sentire, Erotem & Anterotem Cupidines hos interpretatum, non ignoro, sed Gemmam accuratius contemplatus, quòd lineæ illæ rectæ majoris sculpturæ, in minore apud Gorlaum non sunt, & rotundus ille Orbis circulo oblongo adfigatur, potius ad concordem pacem respiciendum arbitrer, quâ ligata sunt Elementa, quorum Oceanus in ipsa Annuli pala expressus circumfluit omnia: Terra se librans pondere suo ei innatat: Suprà Aer ac superior Æther volantium specie ita exhibentur, ut manibus brachiisque innexis se mutuò retineant. Digna Philosopho sententia! exclamavit DULODORUS. Annon vides secundum hanc, mare non terram tantum, sed & aërem & ætherem ambire, Terramque absque Oceano globum constituere? Imò nec suò pondere se librare, utpote Oceano innixam? Quis autem adeò obtusæ mentis est, ut hæc statuere auserit? Nugæ, Nugæ sunt, quas Tu hîc mihi venditas. Tutius sanè in Cupidinum lusu substitero, sive Eros & Anteros hîc adumbretur, sive Amor Cœlestis & Vulgaris. Amoris quidem, inquit ETASTES, Cœlestis & Vulgaris Plato, Erotos & Anterotos Pausanias meminerunt, id quod jam alibi docuisti, quâ ratione & Venus,

Geminorum Mater amorum

Ovidio vocatur, in Fastis; sed nondum video, quâ ratione in Gemma credi possint expressi? Duplici arbitror, regessit DULODORUS, globum vel Terram interpretando, vel Pomum: Si Terram, omninò agnoverim amorem Cœlestem, plebejum à terrenis fordibus abstrahentem: Si Pomum, omninò lulum ei similem, qui apud Philostratum describitur, Icon. L. I. Ubi cum *Ægyptus* mala colligentes, & variis gestibus vel gradientes, vel volantes memorasset, inter alios quatuor formosissimos, ait, à ceteris secessisse, eorumque duos, MALA sibi invicem mittere, alteros duos mutuis se sagittis petere. Addit & luctam: Alium scil. *adversarium superasse*, IN EJUSQUE DORSUM VOLANTEM, eum in suffocationem abducere & cruribus neetere. Hunc verò rectum assurgere, manumque, quâ angitur, dissolvere. Spectantes autem, quod præter luctantium morem agat, POMIS ipsum appetere. Si hæc ita se habeant, inquit ETASTES, similem Cupidinum, an lulum? an luctam? Tecum agnoscere non amplius dubitabo; nam & hîc

Cupido

Cupido in alterius tergum volasse, eum superasse, & per aërem abducere cernitur. Id eò tutius forsàn Tibi videberis facere, respondit DULODORUS, quò clarius poma Amoribus propria fuisse, etiam Coluthus cecinit:

Μηλον κλέρας ἐστὶν ἑρώτων

inquit de Raptu Helenæ. Hæc autem utut sint, mihi tamen, quod de Amore Cœlesti, Plebejum à terrenis sordibus abstrahente dixi, magis placeret; Licet enim auctoritate destituar, non tamen destituor ratione, cum lasciviam amantis, Amati virtute corrigi, nec incongruum sit, nec insolitum. In Gemma 10. visuntur

MERCURIUS & MINERVA

ΘΕΟΙ ΠΙΠΟΝΑΟΛ



Mihi alia sententia placet, respondit ETASTES; Mercurius & Pallas hîc exhibentur, quasi hæc Atticam terram irrigare constituens, Jovis jussu per Mercurium prohiberetur id facere, de quare Hyginus Fab. 164. An consultant de Filiabus Cecropis? Adstat enim Actæo textâ de vimine cista, cui pedem hæc imponit. Neutrum ego dixerim, exceptit DULODORUS. Apud Hyginum enim, non Palladem memini, sed Neptunum, Atticam terram irrigare constituentem, & à Mercurio prohibitum: Adeò ut prior opinio absque dubio evanescat. Posterior nihilo firmior est. Textam de vimine cistam non video. Lapis est, quales columnis, aliisque aedificiorum partibus apponi solent: Et hic, si aliud nihil, assertum meum non modicè videtur fulcire. Ex Luciano, regessit ETASTES recordor, Mercurium, cum Deas in judicium deduceret, cum Minerva seorsim collocutum esse: Quid si huc Gemma referenda sit? Si facias, respondit DULODORUS, per me licebit, quanquam quòd in via inter gradiendum id factum sit, in Gemma autem apertè subsistant, Lapisque pedi substratus aedificii ejusdam index esse possit, ab opinione mea nondum censeam decedendum. Commodè succurrit Inscriptio Gruteriana p. 50. n. 7.

MERCURIO ET MINERVÆ
DIS TUTELARIBUS. S.

Ex Lapide tetragono desumpta, cujus in summo, Mercurius & Minerva, ambo suis cum ornamentis memorantur stetisse, erecti singulari corpore, solo capite distincti, quod utique ad conjunctionem in Gemma egregiè facit. Ut taceam quòd in Propylæo templi Hazakiensis, quod Oppidum VIII. millibus ab Ulpia Trajana abfuit, eodem Grute-

Grutero teste, steterint. Non abs ratione hoc; Pausanias enim p. 557. Minervam & Mercurium θεὸς περὶ ἄρας sive Vestibulares memorat, eorumque statuas, ait, in ipso Thebarum aditu fuisse, Mercurii quidem à Phidia, Minervæ autem à Scopā factam: Πρῶτα μὲν δὴ λίθῃ κατὰ τὴν ἑσοδὸν ὄντι Ἀθηναῖα καὶ Ἑρμῆς ὀνομαζόμενοι Περύρασι. Ποιῆσαι δὲ αὐτὸν Φειδίας, τὴν δὲ Ἀθηναῖαν λεγεῖται Σκόπας. Quæ verba non minus etiam ad Gemmam Theauri Palatini allegari possent. Nisi fallor, exceptit ETASTES, Gemma hæc etiam ex Schedis Bellorii à Causæo in Musæo Romano proposita est. Est, reposuit DULODORUS; Sed ille maluit ad Præfecturam Gymnasiorum respicere, quò sensu Hermathenam ex Mercurio & Minerva compositam Cicero credidit, ad T. Pomponium Atticum, L. 1. Ep. 3. *Quod ad me de Hermathena, inquit, scribis, mihi pergratum est, ornamentum Academiae proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est ejus Gymnasii, &c.* Non male hæc, inquit ETASTES, & quidem ad conjunctionem quæ in Gemma visitur, optimè. Eundem in sensum, perrexit DULODORUS, imò & majorem ad conjunctionis lucem, est & testimonium Aristidis de Minerva p. 26. Tom. I. Ἀλλὰ μὲν, ἤγε πρὸς Ἑρμῆν κοινωμία τῆς Θεῆς, παντὶ δήλη. Ὅστις Ἑρμῆν καλῆν λόγιον καὶ ἀγοραῖον καὶ ἐμπολαῖον. Ἐναγωνίῳ δὲ καὶ ἀντίχορηγῶς καθέστηκεν. Ὁμηροῦ μὲν γὰρ καὶ ἀντικρὺς αὐτὴν ἐναγωνίον ἀποφαίνας, τὰ γὰρ ἄθλα κέρνει δ' αὐτῆς. Jam quanta illi cum Mercurio societas intercedat, nemini potest ignotum esse, qui Mercurium Sertonis, Fori & Mercaturæ Præsidem vocet. Nam Athletico quidem ipsa instar Cboragi est, & ab Homero nominatim ATHLETICA vocatur, quòd de Certaminibus de suo judicat arbitrio. Hæc Aristidis, ut & superiora, rationem simul pandunt, cur Cecrops Mercurium in Templo Minervæ Poliadis dedicaverit, cujus rei en testem Pausaniam, in Atticis, p. 48. κείται δὲ ἐν τῷ ναῷ τῆς Πολιάδος Ἑρμῆς ξύλον. Κένερον δὲ εἶναι λεγόμενον ἀνάθημα. Erectus autem est in Poliadis delubro Mercurius ligneus. Fuisse ajunt Cecropis donum. Luculentos conjunctionis testes adducis, inquit ETASTES, luculentas & ejus rationes. Quid autem ad propositum sequar? Deos περὶ ἄρας, respondit DULODORUS, idque vel ideò, quòd etiam in allegato suprà lapide, singulari corpore conjuncti memorantur, imò quòd in Gemma Lapis, cui Minerva pedem imponit non vanum videatur vestibuli, à quibus denominantur, indicium. In Gemma 170. se sistunt

PHILOSOPHI In Academia ad Aram Minervæ dissertantes,



Mihi, inquit ETASTES, simplicius duo Eruditi viderentur, sedentes in Cathedris & dissertantes, velut ad aram Lugdunensem, cujus mentionem fieri novimus ab Antiquis, qui notabiliter hinc illustrantur. Asserto accedere vereor, respondit DULODORUS, idque ideò, quòd ara Lugdunensis non Minervæ, sed Augusti fuit, uti notat Gangræus ad illud Juvenalis:

Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Multò aliter proposita. Minervæ hanc esse, ex ipso imposito ei Minervæ capite patet. Minervæ autem aram in Academia Atheniensi fuisse, ex Pausania constat, p. 58. ἐν Ἀκαδημία ὄρεσι Μουσῶν τε βωμὸς, καὶ ἐπέροσεν Ἐρμῆ, καὶ ἐνδὸν Ἀθηναῶν. In Academia Musarum sunt, & Mercurii ARÆ, & interius MINERVÆ. Quid clarius dici potest? Fateor, excepit ETASTES, & gaudeo, quòd rei basin audierim. Mihi quidem mea opinio etiam dubia fuit, sed alio ex capite. Ad Aram Lugdunensem Rhetores certasse, ex allegato Juvenalis versu intelligimus: Rhetores autem stantes arbitrabar munere functos. Hæc ratio, subjecit DULODORUS, si valeat, de quo tamen vereor, ne dubitari possit: si inquam valeat, non tantùm Rhetoribus Gemmam abjudicat, sed etiam Academicis eam addicit. Nosti ETASTA, Peripatheticos dictos, quòd ambulando disputarent, id quod Cicero L. I. Academicarum quæstionum docet. Peripatheticos igitur hæc in Gemma vel ideò negabis, quòd non ambulant, sed sedent. Nosti Academicos ab Academia dictos, eodem Cicerone docente: Et quò insigni locus is denotaretur clarius, quàm Aræ Minervæ, in Academia secundum Pausaniam repositâ? In Academia inquam, cujus Cicerone teste, ut modò dictum est, Minerva peculiare Numen fuit, & in qua Academici conveniebant, & disserendo se exercebant? Minerva, fanè apertè satis non Lugdunum, sed Athenas designat, & Philosophi sedentes simul adumbrant otium Philosophorum, de quo Socrates apud Platonem: *Philosophi, inquit, otio tranquillo confabulantur.* In Gemma 32. adumbratur

FORTUNA AEGIRENSIUM cum asistente Cupidine,



Fortunam video, inquit ETASTES, eique ablanditur Cupido. Rectè vides, respondit DULODORUS, sed adde rationem. Quî possem? regessit ETASTES, nullò Authorum eam suggerente? Imò Pausanias, perrexit DULODORUS, eam adeò clarè deducit, ut nihil dubii remaneat. Ita ille in Achaicis, p. 451. ὄρα καὶ ὀγκημα ἐν

Λιγείρα θεασάμεν. ἄγαλμα ὡς ἐν τῷ οἰκῆματι τύχης, τὸ κέρας φέρουσι τὸ ἀμάλθειας. Παρὰ τὴν ἀλήθειαν ἕως πλεονάζων ὄντων ἐθέλει τὴν σημαίνειν, ὅτι ἀδελφώποισι καὶ τὰ ἐς ἕρωτι τύχη μάλλον ἢ ὑπὸ καλῶς κατορθῶται. *Aedicula etiam quadam Ægira est, in qua Fortuna signum sum conspicatus Amalthea cornu gestans, cui assistit volucer Cupido. Significat nimirum hac amoris & fortuna conjunctio, plus ferè in amore homines ope fortuna, quàm pulchritudine proficere.* Quid concinnius ad Gemmam dici potest? Fateor, inquit ETASTES, video enim Fortunæ Cornucopiæ: Video Cupidinem cum alis: Video utrumque conjunctum, planè qualiter Pausaniæ memorantur. Imò & illud notari meretur, quod Statuas has Ægiræ fuisse Laudatissimus Author testatur. Vellem autem scire, quis Ægiræ situs, quod Etymon fuerit? Non abs re mihi facere videris, respondit DULODORUS, simul enim nosces, cur Cornu Amaltheæ Fortunæ simulacrum hoc præferat. Amalthea capra fuit, quæ Jovem nutritiv, uti aliundè patet: Et à Capris denominatam Ægiram, ejusdem Pausaniæ assertum est. Verba Romano idiomate adscribam, ne multitudo sermonis Græci Tibi tædium pariat. *Nihil in maritima ora habent Ægiratæ memoratu dignum. A navali superior Urbs stadia abest XII. appellata ab Homero est Hyperesia. Recentius enim nomen ea Urbs, quam Jones ante Coloniam deduxerant, ob hujuscemodi causam accepit. Cum Sicyonii, comparato exercitu agrum invasuri essent, intelligerentque Hyperesienses, nullo se pacto pares illis numero & viribus futuros, CAPRAS omnes, quæ intra fines erant, in unum coegerunt, adligatasque ad cornua faces intempesta nocte accendere. Hostes, ignes eos esse ab auxiliariis Ægiratarum suspicati, retrò agmen egere; à CAPRIS itaque (Ἄγρας Græci vocant) mutato veteri nomine, Urbs Ægira est appellata. Hæc Pausanias. In Gemmis 299. 313. 314. 320. nobis exhibetur*

SILENUS.



Gem.

incis.



Gem.

inc.



Gem.

inc.



Gem.

inc.

Non Silenum, inquit ETASTES, sed in primo Socratem & Alcibiadem: in secundo & tertio Socratem, vel saltantem, vel cum puero ludentem: in quarto denique Xenocratem agnoverim, asino vectum. Non Tuò id facis judicio, respondit DULODORUS, sed Celeberrimi Chifletii repetis sententiam, qui Socraticam effigiem variis cum insignibus prodidit. Sed uti Chifletium in his sibi nimis indulisse arbitror, ita vellem Chifletianas Gemmas uberiore eruditionis Nectare perfundi. Hæc ut ut se habeant, infit ETASTES, talia sanè per me sint; An autem Socrati & Xenocrati has Gemmas minus rectè addixerit Chifletius, non video. Alcibiadem Socratis disciplinâ usum, ex

Historia

Historia constat: Et Xenocratem non tantum adscriptum nomen arguit, sed & Platonis iudicium, qui eum ob tarditatem ingenii, *Asinum* appellavit. Nihil agis, inquit DULODORUS; In prima enim Gemma Silenum & Bacchum corona hederacea, in reliquis Thyrsus arguunt, & notissimum Sileni simulacrum.

Silenum, reposuit ETASTES, in Gemma prima & tertia fortassis fateri possum; Constat enim Bacchi Nutricium fuisse, indeque cum eo & jungi & ludere. Quid autem ad secundam dicam, non video. Quid? An Silenus legitur saltasse? annon potius de Socrate opinio valeat, quod saltationem is probaverit? & per Canem, cujus ideo caput affictum credi potest, apud Platonem juraverit? Speciosè hæc dicuntur, perrexit DULODORUS, an vere? id sanè nescio. Licet enim saltationem probaverit Socrates, non tamen legitur saltasse, non legitur thyrsum prætulisse: At utrumque de Silente indubium est. De thyrso quid opus est probare? De saltatione audiamus Nonnum in Dionysiis L.XIX. v. 261. & seqq. Ubi cum Amorem hederæ viteâ comam Bacchi coronasse memorasset, addit:

Τοῦτο σοφῆ παλάμη κερόεις Σειληνὸς ὑφαίνων,
 Δεξιτερὴν μὲν ἔπαυσε πολυσκάρβωφ δὲ πεδίλω
 Ἐκ χθονὸς ἠώρητο, καὶ ἠέρι πέμπεν ὀπωπᾶς,
 Πῆ μὲν ἐπ' ἀλλήλοισιν ὁμόζυγα ταρσᾶ συνάπτων,
 Πῆ δὲ διαζεύξας ἑτεραλκείι πάλλετο τέχνη,
 Ἄλλοτε πουλυέλικτος ὑπὲρ δαπέδοιο χορεύων
 Ὅρθος ἐπὶ στέρνοισι ἐλικώδει σείετο παλμῶ.
 Δεξιτερῶ δ' ἀγναμπτος ἐπεστηρίζετο θαρσῶ,
 Δάκτυλον ἄκρον ἔχων ἑτέρου ποδὸς, ἢ γόνυ κάμψας
 Συμφερταῖς παλάμησιν, ἢ ἑκταδίην πτύχα μηρῶν
 Σειληνὸς βαρύγυνος ἔχων ποδὸς ὀρθιον ὀρμῆν,
 Καὶ πόδα λαϊὸν αἶρειν ἀπὸ πλευροῖο καὶ ὤμου,
 Κουφίζων ἐλικηδὸν ὀπισθοτόνω δ' ὑπὸ τέχνη
 Καμπύλον ἠώρησεν ἐπ' αὐχένι ταρσὸν ἐλίξας.
 Καὶ βαλίη στροφάλιγγι παλιννόστοιο χορείης,
 Ἰπτίος αὐτοέλικτος ἐκάμπτετο κυκλάδι τέχνη,
 Πεπταμένην ἐπίκυρτον ἐς ἠέρα γαστέρα φαίνων,
 Τὴν αὐτὴν στεφανηδὸν αἰτέρμονα νύσσαν ἀμείβων.
 Καὶ κεφαλῆ πεφόρητο παρήορος, οἷα περ αἰεὶ
 Απτομένη δαπέδοιο, καὶ οὐ φαύουσα κονίης.
 Καὶ ποδὶ λαχνηέντι πέδον Σειληνὸς ἐλίσσων,
 Ἄστατος ἔνθα καὶ ἔνθα ποδῶν βαλχεύετο παλμῶ.

*Hoc prudenti manu cornutus Silenus texens,
 Dextram quidem cessare fecit, multum verò saltante pede
 Ex terra tollebatur, & in aëra misit oculos.
 Interdum quidem ad invicem conjunctas plantas connectens
 Interdum verò disjungens, alterna vibrabatur arte.
 Interdum multum volubilis super solo saltans,
 Rectus in pectora volubili vibrabatur vibratione.
 Dextrâ vero non flexilis, firmus stabat in planta,
 Digitum summum habens alterius pedis, aut genu flectens
 Collatis manibus, aut extensam plicaturam femorum
 Silenis genibus gravis habens pedis rectum impetum.
 Et pedem sinistram sustulit à latere & humero,
 Elevans volutim, retrotensa verò ab arte
 Incurvum sustulit super Cervicem plantam volvens
 Et veloci turbine retrograda chorea,
 Supinus per se volubilis flectebatur circulari arte.
 Volantem incurvum in aëra ventrem ostendens
 Eandem coronatam infinitam orbitam transiens.
 Et caput ferebatur sublime, tanquam semper
 Volans super solo, & non tangens pulverem
 Et pede hirsuto solum Silenus rotans,
 Instabilis hinc & hinc pedum bacchabatur vibratione.*

Hæc de Sileno Nonnus, & quam ad Gemmam appositè? Fateor, excepit ETASTES, & si de afficto Cane eadem ἀντιβεία doceas, jam non pœnitebit opinionem de Socrate relinquere, Tuamque de Sileno saltante amplecti. Canem, reposuit DULODORUS, licet non Sileno, Baccho tamen à Pane datum, ejusque fidum comitem fuisse, ex eodem Nonno discimus. Fortassis occasione inde sumptâ, etiam fides Sileni in Bacchum hoc symbolô adumbrabitur. Bacchus certè tanti memoratur Canis sui fidem fecisse, ut etiam Sideribus eum illaturus memoretur. Verba adducerem, nisi multitudine tædiosa forent, præsertim cum superioribus de saltatione, aures Tuas jam nimis oneraverim. De Xenocrate audire placet, subjecit ETASTES, quem & ipsum pro Sileno habendum, Te meministi statuere, cum tamen & nomen & ingenium Xenocratem evincant. Neutrum videtur, regessit DULODORUS. Si enim Platonis judicium de Xenocratis tarditate attendendum sit, non Xenocratem Asino vehi, sed ipsum Xenocratem Asinum esse, dicendum erit. Et quid? Annon & hîc Thyrsus Silenum evincit? Thyrsus, qui Xenocrati nullô, Sileno autem omni modô convenit. Silenum autem Asino vehi etiam pueris innotuit. Adscriptum Xenocratis nomen opinionem non refragatur. Quæ enim necessitas nos cogit, ut nomen tantum ejus arbitremur, qui in Gemma cœlatus visitur? Annon potius erit ejus, qui Gemmam cœlavit? idque secundum morem Artificibus priscis familiarem, uti videre est exemplis Dioscoridis & Apollonidæ apud Celeb. Sponium. De his ex Plinio discimus, perrexit ETASTES, quis autem de Xenocrate? Idem Plinius, inquit DULODORUS; En verba:

verba: *Xenocrates Tiscratis discipulus, aut ut alii Eutycratis, vicit utrosque copiâ signorum, & de sua arte composuit volumina.* Statuarius hic fuit, exceptit ETASTES, à quibus Cœlatores Gemmarum utique totò cœlò differebant. Imò Artifices ejusmodi, respondit DULODORUS, interdum in diversis se exercuisse, exemplò Myconis constat, qui licet Pictor & Statuarius fuisse, Plinio memoretur, tamen & Gemmam cœlasse, exemplo ejus noscitur, quæ apud Sponium d.l. prostat. Xenocrates sanè & ipse, non Statuarius tantùm Plinio memoratur, sed & de Pictura scripsisse, L. 35. c. 10. Adeò ut non malè de eo Rev. Harduinus in Indice Authorum; *Xenocrates, qui de Toreutice scripsit, insignis fuit pingendi COELANDIQUE artifex, Tiscratis discipulus. Tiscrates Lysippi, qui Alexandri M. temporibus vixit; Unde Xenocratem atate Ptol. Philadelphi vixisse conficitur.* In Annulo 18. & Gemma 231. exhibentur

APES FLORILEGAE

&

Parentum more rura colentes.



In Gemma priore, exceptit ETASTES, Apis fortassis Thymo insidet, ut Horatiana. De Thymo nollem adderes, inquit DULODORUS, Dioscorides enim Thymum ab omnibus ait cognosci. Si autem eum agnovisses, agnosceres procul dubio florem hunc à Thymo totò cœlò differre. Collatio, subjecit ETASTES rem in aprico ponet. Eam facillimè instituero, regessit DULODORUS. Flos hic uno caule ex terra enatus, foliisque utrinque longioribus visitur ornatus, eòdem ferè modò, quò apud nos Tulipæ solent: At *Thymus*, Dioscoride docente, *sarculosus frutex fuit, exilibus foliis, multis & angustis circumdatus capitulis, in cacumine flore purpurascente refertis.* Quid eorum in flore proposito? Nonne vel hinc patet, Te memoria eorum decipi, quæ passim apud Authores de Thymo Apibus depasto leguntur? Noveris autem non Thymo soli, sed aliis quoque floribus Apes insidere. Hoc sanè sensu Ovidius *Florilegas* dixit, versibus mox allegandis. At mihi, insit ETASTES, talis flos, qualis in Gemma affictus est, non succurrit. Neque mihi, respondit DULODORUS, nisi Pæoniam censeas, Sculptoris vitio minus affabrè exceptam; Hæc enim inter omnes, quos novi, proposito proximè videtur accedere. Sed res ex contemplatione prototypi decidi debet, nec nostrum est, ulterius ei inhærere. Quid autem dicis ad Gemmam secundam? quæsit ETASTES, in qua jocosam arationem, aratore Ape, & similiter duabus

duabus aratrum ducentibus, & jugo junctis, video. Jocosæ aratio, respondit DULODORUS, hæc non est. Id facile perspicies, si causam, si originem inquiras. Ultramque exhibet Ovidius Met. 15. v. 365. Ubi cum docuisset, quomodo Apes à Bobus orientur, appositè ad Gemmam subjicit

De putri viscere passim


FLORILEGÆ nascuntur APES, quæ MORE PARENTUM

RURA COLUNT, operique favent, in spemque laborant.

Licet enim hæc verba de labore Apum naturali, colligendo scilicet ex floribus melle, intelligenda sint, nemo tamen non videt, etiam ad eum quadrare, qui in Gemmis, eum procul dubio in finem, expressus est, ut Apum à Bobus origo, & æmula originis solertia simul connotetur. In Gemma 193. & Annulo 73. adumbratur

SYMBOLUM AUGUSTI

Σπεῦδε βραδέως, Festina lentè.



Ad primam Gemmam, excepit ETASTES, assurgere possum placito; Ex eo enim, quòd in Durmiæ Gentis Numismate hunc typum inveniri notum est, non obscure simul & de symbolo Augusti patebit, cum Numisma id etiam Patino ita explicetur: Nec abs ratione; Papilio enim festinationis, & Cancer, sive Pagurus, lentitudinis symbolum, si conjungantur, quomodo aliter explicabuntur? Rem probè tenes, inquit DULODORUS. Quid autem ad Gemmam secundam dicis? Etiam hinc de Augusti symbolo Te video sentire, subjecit ETASTES, & id quidem cum Chifletio facis. At mihi Augusti symbolum hic videri potuisse, mirum videtur, cum potius Vespa sit, fulmini advolans. Mihi, regessit DULODORUS, mirum videtur, Te Vespam fulmini advolantem hic videre posse, cum tamen Vespa hujus nullæ sint alæ. In his sanè tota controversiæ decisio versatur. Si adessent, Tecum sentirem: cum absint, fulmen celeritatis, Vespam autem ἀπτερον tarditatis symbolum arbitrarer, adeoque conjunctionem ad Augusti Σπεῦδε βραδέως, referendum, omninò censerem: Quanquam, quod notandum, hæc opinio Chifletii non fuerit; Ubi enim ille de symbolo Augusti ad hanc Gemmam? Scarabæum arbitratur, fulmini ideò impositum, quòd Soli & Lunæ is sacer esset, & quòd, ut apud Plinium est, ad avertendas tempestates Smaragdis insculperetur. Sequuntur in Annulis 48. & 5.

OLORES

15.

OLORES VENERIS.



Non Olores, inquit ETASTES, sed Anferes in his agnosco: Quanquam, ut verum fatear, vel ideò res mihi dubia sit, quòd Veneri Anferes dicatos hæctenus invenire non potuerim. Licet Authoritas desit, respondit DULODORUS, tamen non deesset ratio, si modò anferes hos esse, figura suaderet. Quid enim? an nescis Plinium scribere, *Anseribus inesse famam amoris?* id quod confirmat exemplis, ab Anseribus amatorum, *Oleni* scil. *pueri*, quem Athenæus *Amphilochum* vocat, & *Glaucos Citharâ* canentis? ut taceam *Lacydem Philosophum*, quem Anser adeò amasse eidem traditur, ut ei perpetuò adhæserit, nusquam ab eo non in publico, non in balneis, non noctu, non interdium discesserit. Exemplâ ad rem faciunt, exceptit ETASTES, & mihi in mentem venit & Homeri locus, ubi Procos Penelopes sub Anseribus intelligit. Id ob voracitatem, reposuit DULODORUS: Ad Venerem autem propius fortè, quòd Anser ei Clypeo insculptus erat, quem Vulcanus in Veneris gratiam pro Ænea fabricavit, id quod ex Virgilio patet: propius, quòd Nemesin, cùm à Jove Cygno comprimeretur, in Anserem mutatam, Cœlius Rhodiginus observat: Imò, quòd Anferes Priapo sacros, ex Petronio notum sit, ubi *Priapi delicia* vocantur, & *omnibus Matronis acceptissimi* feruntur. Quæ rei causa? quæsit ETASTES. Procul dubio, respondit DULODORUS, quòd testes Anserum comesti ad libidinem & procreandam sobolem plurimum conferant, id quod Physicorum calculò comprobatum est. Hæc si ita sint, subjecit ETASTES, quid prohibet Anferes hîc Veneri sacros statuere? Si Anferes essent, respondit DULODORUS, in Curru non Venerem, sed Junonem intelligerem, aëris præsidem, cui Anser ideo sacer dicitur, quòd facillimè aëris motum sentiat, ut Servius notavit. Ad aërem sanè etiam alæ flagello affixæ referri possent. Junonem, exceptit ETASTES, Infantes remouent: Quid autem Anferes removeat, fateor me non videre, cùm utique nec Cygnos hos esse, breuitas colli arguat, quæ in editionis recusæ bigis, utique ad oculum patet. Subrisit DULODORUS, & egregiè opinioni velificaris, inquit. Non ex editione recusâ, sed ex ipsâ Gorkæi talia censenda sunt. Hanc si conferas, apertum erit, in recusis Sculptorem, ut opinionem de Anseribus fulciret, colla brevissima delineasse, cùm revera apud Gorkæum longiora sint, quàm ut Anserum credi possint. Adde quòd nec rostrum, nec pedes in Gorkæanis, Anseribus quadrent, sed

omninò

omninò tales sint, quales in Cygnis Suevi nostri, Cygnorum sanè feracissimi, quotidie contemplantur. Cygnos, regessit ETASTES, Veneri sacros, imò & ab ejus curru religatos, novi nihil est. Horatius, Ovidius, aliique rem clarè, uti jam supra vidimus: Quibus accedit & Statius in Epithalamio:

Amyclaos ad frena citavit olores.

Sed mihi de Venere dubium movent Infantes Cygnis inequitantes, qui Cupidines esse non possunt, utpote alis destituti. Ain Tu? reposuit DULODORUS. Ergo & illum Cupidinem negas, qui in Gemma Gorlæi 62. coram Vulcano alas fabricante Veneri adstat? Non aulim, respondit ETASTES; Hunc enim Cupidinem esse, adjuncta Venus demonstrat. Vides igitur, subjecit DULODORUS, alas Cupidini necessariò non affingi, id quod latius ex Athenæo alibi demonstratum dedi. In Gemma secunda id eò tolerabilius est, quò apertius Cupidinum alas flagello alligasse Venus cernitur, sive nondum eas aptaverint Cupidines, à Vulcano factas; sive eas in Matris gratiam deposuerint, ut apud Virgilium; sive denique Venus eas filiis ademerit, qualiter & arcum & pharetram in Gemma Liceti. Quicquid sit, Cupidines *Veneris aurigas* creditos ex eodem Statio patet, apud quem Amyclaos Olores

*Jungit Amor, letamque vebens per sidera matrem
Gemmato temone sedet.*

Indeque est quod Horatio L. IV. od. I.

Amor purpureis ales Oloribus.

Canitur: Imò quod *Cygnis descendere* Ovidio idem est, quod *rebus amatoriis finem imponere*, id quod Eruditi ad d. Poëta locum jam dudum notârunt. In Annulo 169. exhibetur

CARACALLA

cum
LEONE.



Caracallam, inquit ETASTES, quid probare possit, non video. Inscriptio Gemmæ nulla est. Habitus cernitur militaris potius, quàm Imperatorius. Et si ex facie judicium feras, ea minutior est, quàm ut certi quid inde elicere possis. Quidni potius Martem hic agnoscam, cujus fortitudinem Leo adumbret? Leo, respondit DULODORUS, licet fortitudinis symbolum credi possit, fortitudo tamen ut in Marte probetur,

betur, necesse non est. Mihi ut Caracallam hîc statuam, non facies, non inscriptio, sed historia suasit, quâ Caracalla Leonem circumduxisse, familiariterque cum eo vixisse memoratur; neque enim de alio hoc dixeris quocunque. Audiamus Dionem: *Ἀφ' ἧ καὶ Διὰ τῶν πύλων ἐξῆλθε, μηδὲν μὴδὲ τῶν λέοντων, ὃν Αἰνιάκην ὠνόμαζε, καὶ ὁμοτροπέζον ὁμόκλινον τε ἐποιεῖτο, φροντίσας, ὅτι καὶ ἐκράτησεν αὐτὸν ἐξίοντα καὶ τὴν ἐδῆται αὐτῷ προσκατέρρησεν.* *Adhæc quum per aliquam portam exiret, nullam rationem habuit Leonis, quem Acinacem nominabat, quemque in suam mensam recipiebat & lectum, quum is ipsum retinisset exeuntem, ejusque vestem fregisset.* Ex his, subjecit ETASTES, non tantum Caracallam cum Leone versatum, sed & Leonis simul nomen discimus. Id ejus fuit, regessit DULODORUS, quem inter cæteros vel maximè dilexit, quâ ratione si eum in Gemma sculptum arbitraris, facilè assensero. Mitis enim Leonis hujus coram Caracalla habitus, singularem quandam familiaritatem non obscurè subinnuit. Quamquam, quod omninò notandum, etiam alios Leones Caracalla circa se habuerit; Ita enim persequitur Dio: *Ἔτρεφε μὲν γὰρ καὶ ἄλλας λέοντας πολλὰς, καὶ αἰεὶ πῖνας περὶ αὐτὸν εἶχεν, ἐκείνον ἧ καὶ δημοσίᾳ πολλὰν κατεφίλει.* *Alebat Antonius complures Leones, secumque nonnullos habebat semper; Hunc verò publicè sæpè deosculabatur.* Fateor, inquit ETASTES, ad Gemmam propositam res apprimè quadrat. Sed miror Caracallam hîc non habitu Imperatorio depingi. Id nihil mirum, respondit DULODORUS. Martem dilexit, indeque eodem planè modò, quò in Gemma visitur, etiam visitur in Nummis. Aspice sequentia:



Utrinque, subjecit ETASTES, Mars est. Imò, excepit DULODORUS, potius Antonius, id enim colligas non tantum ex chlamyde, quæ in primo visitur, in posteriore autem deest; sed etiam, & quidem tantum non indubiè, ex inscriptione, quæ utique Marti nullò modò quadrat. Illustrissimum Mediobarbum, inquit ETASTES, hæc Numismata memini ad Memoriam Victoriæ Parthicæ, & Ctesiphontis captæ retulisse. Perperam id facit, respondit DULODORUS, omninò enim pertinent ad Securitatem Imperatoris, quam Caracalla in militari robore posuit. Id arguit Nummus eidem Mediobarbo ex Occone repetitus, & sub Caracalla in ipso Principio positus, in quo figura militaris stans dextrâ clypeum, sinistrâ hastam tenens, SECURIT. PERPETUA inscribitur, adeò ut hîc Nummò confirmetur, quod scripsisse apud Dionem legitur: *Διὰ τῆς τοῦ μὲν τοῦ καὶ ὄπλα καὶ στρατιώτας ἔχω, ἵνα μηδὲν τῶν λογοποισιμῶν ἀπιστεφθαίμαι.* *Ideo in armis sum, & habeo apud me milites, ut possim rumores, qui de me*

perferuntur, contemnere. Si hæc ita sint, exceptit ETASTES, in Gemma non militari robori tantum, sed & Leonum consortio videbitur confidere. Non abs ratione id opinaris, perrexit DULODORUS: Quamquam Leones in Numismatibus expressi, quos & ipsos Tibi hic monstrare placet,



Non tam ad Securitatem Caracallæ, quàm ad eum pertineant, qui Caracallæ, contra Parthos præliaturo, in auxilium properavit. Audiamus Dionem: *Αντωνίνῳ ὡς καὶ πανηλώς ἀπὸν, ἕς μηδὲ ἐωράκει, κεκερζητικῶς, ἐσημνύετο. καὶ μάλιστα ὅτι λέων τις ἐξ αἰφνης ἐξ ὄρεος καταδραμών, συνεμάχησεν αὐτῷ, ὡς αὐτὸς ἐπέσειλεν.* Antoninus quasi omnino superior fuisset, quos ne viderat quidem, se vicisse gloriabatur, tum verò quòd Leo, qui improprio de monte descenderat, pro eo pugnavisset; nam id in literis scripsit. Leonem cum fulmine radiatum, inquit ETASTES, ego potius ad Acinacem retulero, quòd scilicet ut Aquila Jovis cœlestis, ita hic, utpote Soli sacer, ideoque radiatus, Jovis Romani armiger foret. Opinio ingeniosa est, respondit DULODORUS, sed præferri meretur Trifiani sententia, qui ad memoratum modo factum respicit, ei enim suffragantur Trib. P. XIX. & XX. quæ in annum V. C. 966. & sequentem incidunt, quorum priore bellum Parthicum Antoninus patravit. Satis clarè rem demonstras, subjecit ETASTES, mihi autem mirari subit, unde Caracallæ tanta cum Leonibus familiaritas? Rationem, regessit DULODORUS, idem Trifianus indicat: hæreditariam scilicet ei à patre Severo fuisse. Severus Maurus erat: Mauris autem Leones comites, memorat Ælianus, L. III. c. i. *Μαυρεσίῳ ἢ ἀνδρὶ ὁ λέων καὶ ὁ δὲ ποιωνεῖ, καὶ πίνει τῆς αὐτῆς πηγῆς ὕδαρ.* Duo adhuc mihi quærere libet, exceptit ETASTES, primò unde Caracalla Leoni suo nomen Acinacis imposuerit, cum tamen Acinaces Gladii genus fuerit? Deinde, cum & alii Leonibus familiares fuerint, quâ necessitate hic Caracallam statuamus? Quod ad primam quæstionem attinet, reposuit DULODORUS, fateor me nihil certi habere. Si tamen conjecturis locus, poterit Caracalla ad usum respexisse, indicaturus scilicet Leonis familiaritatem sibi tantam securitatem præstituram, quantam aliàs gladius soleat, sive Acinaces, qui non tantum apud Persas hoc nomine inclaruerat, sed & in Thracia loco Martis colebatur: Poterit etiam ad Leonem Ensisferum in Gemma M. POMPEII respexisse, de quo Plutarchus in ejus Vita, qualisque etiam in Nummis Antonii apud Cel. Patinum in Familiis cernitur. Ad secundam quæstionem respondeo, occurrere quidem in historiis varios Leonibus familiares, ad Gemmam autem adeò

adeò non quadrare, ut quadrat Caracalla. Habitu militari hic visitur, adeoque excludit Veneficum illum, de quo Silius:

Harcalo non pavidus factas mulcere Leones.

Excludit Henricum ferreum, Comitem Holsatiæ, qui seminudus baltheum & gladium gestans, in Anglia sub Eduardo III. emissum in se, Procerum invidiâ, Leonem incolumis in caveam reduxisse, Alb. Crantzio memoratur. Ita nec Battum adduxeris, quem cum antea mutus esset, Leone viso sanatum, Pausanias author est. Nec Hannonem, quem Leones primum cicurasse, fama retulit; Illum enim metus, Hunc & armatura Romana arcet. Auguriis, perrexit ETASTES, Veteres plurimum tribuere. Quid si tale quid & hic concurrat? Leo, respondit DULODORUS, Sandrocotto Regni auspiciam dedit, dormientem lambens, linguaque sudorem detergens: quid autem hoc ad Gemmam? Ita & Aldrovandus Leonis occursum bonum homini augurium, Veteribus asserit visum, Licet Alexander ab Alexandro Leonis aspectum famosum & inglorium pronunciaverit, eò quòd itinera infesta sit creditus facere, hostiumque pugnam sæpè portenderit: Quid autem hoc ad rem? Nonne tutius in Caracalla subsistimus, convenientibus in hoc, & habitu & historia? Sequitur in Gemma 87.

A U R A

Phidolâ dejecto
Cursum in Olympicis perficiens.



Auram, excepit ETASTES, memini Te in Thesauro Brandenburgico protulisse. Sed mihi simplicius Equum contumacem, & dejecto Victore aufugientem, placet statuere; Quis enim rem ad Ludos Olympicos restringeret, nullo omnino eorum indicio rem determinante? Ad Ludos Olympicos, respondit DULODORUS, nuditas Equitis, sub Equo jacentis, nos respicere jubet; Pausanias enim Author est, postquam Callipatira virili ornatu ad Olympicos Ludos penetrasset, lege sancitum fuisse, ut nudati ad Ludicrum, ipsi etiam Magistri. Et quis nescit, Equestres decursus Equitibus passim nudis, in Marmoribus prostare? In Gemmis 618. 593. & 563. exhibitur

20.

HORTUS ADONIDIS.



Ergo & hîc, inquit ETASTES, à vulgari sententia discedis? Discedo, respondit DULODORUS. Quid enim suggerit præter verba? In *prima* Gemma vas cum flore agnoscit, vel quaecunq̄ue, vel ut denotet Ludos: In *secunda* Floram statuit nudam, ut solet, colligentem flores in vas, ad eos usurpari solitum: In *tertia* Matronam floribus, quibus vas repletum adstat pedibus, & avibus deditam. At, subjecit ETASTES, Ludos per vasa adumbrari insolitum non est: Floram nudam esse, & flores colligere, fabulæ convenit: tandemque & Matronam floribus & avibus operam dare, nec ipsum utique ratione caret: ut taceam Annulum Gorlæi 15. cùm quo hæc Gemma admodum convenit. Annulus 15. respondit DULODORUS, cum proposita Gemma nihil commune habet. Spes in eo, & ex herba aut flore, & ex sublata Stolæ lacinia patet; In vase autem spica cernitur, spei scilicet implementum. Quid autem hoc ad propositam Gemmam, in qua nullum omninò spei indicium? nullum, nec spicæ vestigium? Quod de vase Ludorum insigni memoras, id admitterem, si palmis Vasculum hoc ornatum esset. Licet enim non Urnæ tantùm, sed & Amphoræ Ludorum insignia esse solerent, absque palmis tamen non solebat, id quod videre est ex Morellianis, Epistola prima Per-Illust. SPANHEMII, ubi plura de hoc more. Præmia scil. erant, sed præmia Victoriæ, quæ Palmis adumbrabatur. Ita & Floram agnoscerem, si florem in vasculo conspicerem, sed pace Tuâ dixerim, nullibi flos apparet, sed folia recens enata. An hæc, inquit ETASTES, Adonidis hortum demonstrant? Omninò, regessit DULODORUS, ita enim Plato in Phædro. Ὁ νῦν ἔχων γεωργὸς ὧν ἀπερμαίων κηδοίτο καὶ ἔγκαρπα βάλοιτο γενέσθαι, πότρεα παρδῆ ἂν θέρης εἰς Ἀδώνιδος κήπας αἰρῶν χείρεσι θερῶν καλῶς ἐν ἡμέραισιν ἀκλῶ γινομένους. ἢ ταῦτα μὲν δὴ παιδιᾶς τε καὶ ἑορτῆς χάριν δεῶν αὐτῶν, ὅτε καὶ ποιῶσι. Num Agricola, qui sapiat, semina, quæ cura haberet, quaque cuperet aliquando fructum adferre, astatico tempore, summò studio, in Adonidis hortos mittet, gaudebitque spectare eos intra dies octo jam pulchros effectos? An ea quidem per lusum ac festi gratia faciet, si quando tamen fecerit? Hortorum Adonidis quidem mentio fit, perrexit ETASTES: Foliorum non fit. At intelliguntur, inquit DULODORUS; Quid enim intra octo dies ex semine nasci poterit? quæve re horti tantillo temporis pulchri poterunt fieri? si non foliis, & quidem tribus ut plurimum illis, quæ primò progerminare solent, quæque in vasculis Gemmarum cernuntur? An in-
vascu-

vasculis, subjunxit ETASTES, plantabantur Adonidis Horti? Theocritus, excepit DULODORUS, ea ταλαρίσκους vocat, Interpres Calathos vertit. Ita enim Idyll. 15. ubi de Adonidis honoribus agit:

Πὰρ δ' ἀπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
 Αργυρέοις.

Adfunt & molles hortuli, inclusi calatbis
 Argenteis.

libi nota, hortos molles vocari, quòd ex femine modò provenissent, εἰώθασι γδ, uti Scholiastes loquitur, ἐν τοῖς Αδωνίοις πρὸς κηλίας ἀείρειν ἐν πσι παρασείοις, καὶ τὰς φυτευθῆναι κήπας, Αδωνίως παρασείουεν. Solebant enim in Adoniis triticum & hordeum serere, in quodam suburbano, & plantatos Hortos Adonidis appellare. Non in vasculo, inquit ETASTES, sed in suburbano triticum & hordeum hìc asseritur feri. Ita est, respondit DULODORUS, sed additur inde plantari Hortos Adonidis, eos scilicet quos Theocritus inclusos Calatbis argenteis cecinit. Non autem calathis argenteis tantum, sed & aliis vasorum generibus Adonidis Horti inclusi fuere. Theophrastus Hist. Plant. Lib. VI. c. VII. fictilia refert: Αερότονον ἢ μάλλον δὲ πρὸ ρίζης καὶ παρασείου βλαστάνει ἢ δὲ πρὸ ἀέριμαλθου χαλεπῶς ἢ καὶ δὲ πρὸ ἀέριμαλθου παρασείου ἐν ὄσρακοις ὡπερ οἱ Αδωνίδου κήποι. Eustathius ad Odyss. λ. κήποι Αδωνίδου, inquit, φυτάρια ταχὺ ἀναθάλλοντα ἔσω χύτρας, ἢ ἀρρίχας καὶ ὅλως κοφίνους τινός. Horti Adonidis sunt plantae subito regerminantes intra OLLAM aut VAS VIMINIUM, & in genere Copbinum; Ubi notandum, non frustra Hortos hos plantas sive φυτάρια vocari: Non frustra cognominari ἀναθάλλοντα regerminantes; utrinque enim indigitatur, plantas eas ex suburbano, in quo ex femine emerferant, in Ollam, Vas, aut Cophinum translatas esse, & ita regerminasse; id quod Scholiastes Theocriti, ut modo vidimus claris verbis docuit: Quamquam alii & in Testis feminatas asseruerint; Ita enim apud Meursium Appendix Vaticana, Proverb. IV. Cent. I. Γίνονται ἢ ἔτοι οἱ κήποι (τὰ Αδωνίδου) εἰς ἀγγεῖα κεράμεια ἀειρόμενοι ἄχει χλόης μόνης. Idem & Zenobius Cent. I. Prov. XLIX. nisi quod loco χλόης μόνης, χλόαν μόνην habeat, quod tamen eòdem cadit; Utrinque enim Hortos Adonidis in vasa fictilia feminata, tantum ad herbam virentem crevisse indigitatur, id quod in nostris Gemmis utique ad oculum patet. At, subjecit ETASTES, an Hortos hos plantarunt foeminae? Ex ipsa, reposuit DULODORUS, id enim idem Eustathius testatur: γυναῖκες ἢ τὰς ποίετας τημελῶσαι κήπας, ὡσίην ὄσρακοις Αδωνίδι. Faemina, inquit, tales Hortos curabant, quasi essent funebres Adonidi. Addamus & Plutarchum: Περὶ τῶν βραδέως ὑπὸ θεῖς πωρεσμένων· ἀλλὰ μικρὸς ἔστι καὶ κενόσασθου ὁ θεός ὅστιν, ὡσεὶ μεδὲν ἡμῶν ἐχόντων θεῖον ἐν αὐτοῖς, μηδὲ προσόμοιον ἀμωσγέπως ἐκείνῳ, καὶ Δαρμῆς ἢ Βέβαιον, ἀλλὰ φύλλοις (ὡς Ὀμηροῦ ἔφη) παραπλησίως δαπομαραινόμενων παντάπασι καὶ φθινόντων ἐν ὀλίγῳ ποιῆσθαι λόγον ποσῶτον, ὡπερ αἱ τὰς Αδωνίδου κήπας ἐπ' ὄσρακοις ποῖ τιθήμενα, καὶ θεραπεύεσθαι γυναῖκες ἐφημέρας ψυχὰς ἐν σαρκὶ τρυφερᾷ καὶ βίᾳ ρίζαν ἰχυραὴν εἰ δεχομένη βλαστάνουσα, εἴτα δαποσεννυμένης ἐυθύς ὑπὸ τῆς τυχῆσης παρασείου. Imò morosior quisquam & levicularum rerum curiosus est Deus, quòd cum nihil habeamus divinum in nobis, neque quod ullo modo ad illius similitudinem accedat, quodque constet, ac stabile perpetuumque sit, quin magis foliorum ritu, quemadmodum ait Homerus, unde quaque marcesca-

mus, intereamusque brevi, tantam nostræ curam habeat, non aliter quam MULIERES, quæ ADONIDIS HORTOS, ad dies pauculos vernantes, in TESTULIS quibusdam nutriunt, foventq, animas brevi duraturas, in carne tenera, & solidam vite radicem non recipiente suppullulantes, & mox ad quamvis occasionem interituras. Hæc ut ut sint, non tamen Mulieres tantum, sed etiam Viros Adonidis hortos plantasse, Diogenianus Cent. I. Prov. XIV, videtur innuere. Ἐπειδὴ γὰρ Ἄδωνις, ἐρώμενος ὦν, ὡς μῦθος, τῆς Ἀφροδίτης, πρὸ ἥβης πελευῖα, οἱ πάντες ἐργάζονται, κήπους εἰς ἀγγεῖά τινα φυτεύοντες, ἢ φυτεύουσι. Quid clarius his dici potest? Fateor, inquit ETASTES, duo autem mihi adhuc obscura sunt, primò cur altera mulier nuda, altera vestita sit? deinde cur altera aviculam præferat? Si cogites, respondit DULODORUS, hortos Adonidis Veneri sacros fuisse, facile mihi dabis, aviculam illam Columbam esse, utpote quæ & ipsa Veneri dicabatur. Imo nec de nuditate, nec de vestitu dubium movebis, cum & ipsa Venus inter Antiquitatis reliquias utròque modò haud infrequenter se sistat. Veneris honori hos Hortos instructos, ex modo allato Diogeniani loco audivimus. Sed addi potest & Theocritus Idyll. alleg.

Κύπρι Διωναία, τὸ μὲν ἀθανάταν ἀπὸ θνατῶν
 Ἀνθρώπων (ὡς μῦθος) ἐποίησας Βερενίκαν,
 Ἀμβροσίαν ἐς στῆθος ἀποστάξασα γυναικὸς.
 Τὴν δὲ χαριζομένα πολυώνομε καὶ πολύναιε
 Ἄ Βερενικεῖα Θυγάτηρ, Ἑλένα ἐικυῖα,
 Ἀρσινόα, πάντεσσι καλοῖς ἀτιτάλλει Ἄδωνιν.
 Πὰρ μὲν οἱ ὠρία κεῖται ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι
 Πὰρ δ' ἀπαλοὶ κάπποι πεφυλαγμένοι ἐν θαλαρίσκοις
 Ἀργυρέοις.

*Venus Cypria, filia Diones, Tu immortalẽm ex mortalibus
 Hominiibus (ut sermo est) fecisti Berenicẽm,
 Ambrosiam instillans in pectus mulieris.
 Quare Tibi gratificans, ò celeberrima, & multis delubris celebrata,
 Berenices filia, Helena similis,
 Arsinoë, multifariis bonis ornat Adonidem.
 Juxta eum autem matura jacent quæcumque ferunt Arborum apices:
 Ad sunt & MOLLES HORTULI, inclusi CALATHIS
 Argenteis. &c.*

De Avicula, excepit ETASTES, an Columba sit? nescio, annon jure dubitem; Licet enim hæc Veneri sacra fuerit, in Gemma tamen, ob exiguitatem dignosci non potest. Quæcumque sit, subjecit DULODORUS, certè avis est. Avium autem genera inter cætera Adonidi sacrata omnia, idem Theocritus refert:

Παντ' αὐτῷ πετεινὰ καὶ ἔρπετα τὰδε πάρεστι.
Omnia illi VOLATILIA & reptilia hic adsunt.

Inquit

Inquit in superiora sequentibus. Ex Scholiaste Theocriti, inquit ETASTES, Triticum & Hordeum in suburbanis satum, indeque in vascula translatum, Adonidis hortos didici constituisse: Quasò autem DULODORE, annon folia in Gemmis expressa latiora sunt, quam ut vel Tritici vel Hordei credi possint? Eadem, respondit DULODORUS, in his ratio esse potest, quæ & in iis, quæ Spes præferre solet. Hæc segetem in herba adumbrant, & tamen & ipsa latiora solent effingi, quàm ut vel tritici, vel hordei, vel cujuscunq; frugum generis videri possint: Adeò ut, si in his peccatum sit, utique Sculptorum ea culpa credi debeat; Quanquam ne quid prætermittam, non semper Triticum & Hordeum, sed & Lactuca & Foeniculum hortos Adonidis constituerint. Testatur Hesychius, cujus en Tibi verba: *Αδώνιδος κήποι· ἐκ τῶν Ἀδωνίους εἶδωλα ἐξάγασιν, καὶ κήπους ἐπ' ὄσρακων, καὶ πανίδαπὴν ὀπάσαν, οἷον ἐκ μαράθρων καὶ θειδάκων πασκαευάζουσιν αὐτῶ τὰς κήπους, καὶ γὰρ ἐν θειδάκιναις αὐτὸν κατακλινηναὶ ὑπὸ Ἀφροδίτης Φασίν.* Ita & Suidas: *Αδώνιδος κήποι, inquit, ἐκ θειδάκων καὶ μαράθρων, ἅπτε κατέσπειρον ἐν ὄσρακοις.*

Non ausim amplius resistere, inquit ETASTES, Lactucam enim folia latiora habere, inficias non ierim. Quí autem fiebat, ut plantæ hæ tam citò creverint? Causa incrementi, respondit DULODORUS, Calor fuit; Ita enim Simplicius in Phys. Arist. L. V. *καὶ οἱ τῆς Ἰσθμίου θεμένης τρυφύλλου καὶ αὐξάνου, ἐν τῶν Ἀδωνίδος καλεμένοις κήποις, πρὸ τῶν ῥιζωθῆναι καὶ πληθῆναι ἐν τῇ γῆ.* Fuit & cura, cujus brevitás & interitús causa fuit; Ideo enim curabant aut perderent, adeoque brevem Adonidis vitam adumbrarent. Eustathius rem edocet. *Κήποι· Ἀδωνίδος φυλάξια τρυφύλλου ἀναθάλλοντα καὶ αὐτὰ ῥιπιζόμενα καὶ θαλάσσης καὶ ἀφαριζόμενα καθ' ὁμοιότητά τινα τῶν καὶ τὸν ὠκύμορον Ἀδωνιν θανάτου. Ὅς αἰθήσας νεοτήσιον τρυφύλλου ἀπὴνησε, καταβληθεὶς ὑπὸ ἀέρος καὶ τὸν μύθον.* *Horti Adonidis sunt planta subito regerminantes, & statim projecta in mare, & evanescentes, ad similitudinem quandam mortis, quam subit, brevis Fati Adonis.* Zenobius Cent. I. Prov. XLIX. non in mare, sed in puteos præcipitatos scripsit. *Γίνονται ἡ ἔτοι οἱ κήποι τῶν Ἀδωνίδος, εἰς ἀγγεῖα κεράμεια παρηρμένοι, ἄχει χλόαν μόνον.* *Ἐκφύεσθαι ἡ ἅμα πελευτῶν τῶ θεῶ καὶ ῥιπιθῆναι εἰς κρήνας* Itane se res habebat? excepit ETASTES; Non igitur mirabor, quí κήποι Ἀδωνίδος contra futiles & nugones homines, & voluptatibus ineptis deditos, cujusmodi sunt Cantores, Sophistæ, Poëtæ, Lascivi, Cupedarii &c. in proverbium abierint; brevis enim ut video & horum delectatio est. Brevis, inquit DULODORUS, & plerumque infructuosa, adeò ut parœmiam etiam hoc modò efferri, horum author Erasmus testetur: *ἀκαρπότερον τῶν Ἀδωνίδος κήπων, infrυκτέωσιον Adonidis Hortis.* Sed de his hæctenus. Sequitur ex Gemmis 108. & 664.

DIO-

24.

DIOMEDES

Palladium auferens.



Ego, exceptit ETASTES, non hunc in his Gemmis agnoverim, sed in *prima* Bellonarium, in *secunda* foeminam cum Palladio, qualis typus Nobilitatis esse solebat. Nobilitas, respondit DULODORUS, non Palladium, sed imagunculam praefert, idque ideò, quòd Nobiles jus ponendae imaginis habuerunt? Adde, quòd nec foemina in Gemma sit, sed omninò Vir, qualem & in Thesauro Elector. Brandenb. vidimus, eodem ferè habitu, nisi quòd gladium sinistra teneat. Plura ibi de Diomede me legisse memini, inquit ETASTES, ideòque de *secunda* Gemma eò Tibi facilius assurgo: de *prima* autem, nisi rem eadem claritate doceas, ignosces, si difficilior fuero. Quid? annon Bellonarium Bellona arguit? annon Bellonarius districto ense adstat, ut se vulneret ex ritu sacerdotii? Si Bellona hic foret, respondit DULODORUS, pro Bellonario sentirem & ego: Cùm autem Palladium sit, non minus ac in altera Gemma, omninò pro Diomede decernerem. Palladium, subiecit ETASTES, minutum Palladis simulacrum fuit: Palladem autem & Bellonam fuisse eandem, quis nescit? Id quidam credidère, respondit DULODORUS, idque ideò, quod eadem utrique opera interdum Poetae tribuant. Simulacra autem diversa fuisse, inde colligas, quod Tuba, Fax, & Falx, Bellonae tribuantur, quae tamen à Pallade alienae sunt: Ut comam taceam, quam & ipsam sanguine multò spargere memoratur. Audi Statium L. IV. Theb.

Prima mari rutilum de vertice Larissæo

Ostendit BELLONA FACEM.

Et Silium Italicum L. V. Pun.

Ipsa facem quatiens ac flavum SANGVINE multo

Sparsa COMAM medias acies BELLONA pererrat.

Et Claudianum L. II. in Eutropium.

Quid dudum inflare moraris

Tartaream BELLONA TUBAM? quid stringere FALCEM

Qua populos à stirpe metis?

Imò, reposuit ETASTES, etiam *Hastam*, & *Parmam*, & *Galeam* gestasse legitur, qualiter utique & Pallas. Audi eundem Statium L. II. Theb. fin.

Nec magis ardentis MAJORIS. HASTATAQUE pugna

Impulerit BELLONA Tubas.

Audi

Audi eundem Claudianum, de IV. Conf. Honorii:

*Jam Trabeam Bellona gerit, PARMAMQUE removit
Et GALEAM.*

Etiam si hoc Tibi cedam, regessit DULODORUS, tamen in proposita Gemma Bellonam esse, cedere non possum. Palladem sive Minervam, ingenium bellicum: Bellonam autem, furorem bellicum denotare, Cartarius docet. Hæc differentia ad distinguenda Palladis & Bellonæ simulacra admodum necessaria est; Ut enim Ingenium interdum furore corripitur, unde Minerva in ipso bellandi actu etiam credi potest expressa, qualiter in Domitiani Nummis occurrit: Ita & furor interdum Ingenii speciem induit, & inde poterit hastam & Clypeum & Cassidem mereri, sed tamen, non poterit extra bellandi actum effigiari. Nam hic Bellonæ proprius est. Et ex his constat, foeminam galeatam, sinistrâ Clypeum tenentem, dextrâ autem hastam torquentem, rite & Palladem, & Bellonam vocari; foeminam autem habitu pacifico stantem, licet & Galea & Clypeo & Hasta armatam, qualis in Gemma nostra visitur, Palladem quidem esse, Bellonam autem nullô modô esse; deficit enim furor bellicus, sine quo Bellona intelligi non potest. Profundè philosopharis, inquit ETASTES, si verè, me cecidisse fatebor; Quamquam nondum intelligam, quomodo ad Diomedem adstans aræ figura reduci possit? Diomedes cùm Palladium auferret, galeatus fuit, & ita etiam apud Eruditissimum Fabretum in Tab. Iliacâ pingitur. Galea non obstat, respondit DULODORUS, cùm utique capite nudo non tantùm in Gemma prima occurrat, sed etiam in ea, quam in Thesauro Elector. Brandenb. protuli. In utraque, excepit ETASTES, aræ insidet Diomedes, Palladiumque jam manu præfert, in proposito autem manum dextram capiti imponit, sinistrâ gladium tenet. De gladio, subjecit DULODORUS, dubium non est. Fabella, quâ Diomedes Ulysses gladio ante se egisse apud Photium Cononi memoratur, rem abundè demonstrat. Manus capiti imposita fortassis Pietatem Diomedis, fortassis etiam lætitiâ demonstrat. Qui Minervam ubique & coluit & adjutricem habuit, uti videre est ex precatione ejus, apud Homerum Il. K. v. 283. seqq. credibile non est, Palladium non propitiato Numine attigisse. Propitiatum Numen vel inde colligas, quod Quintus Smyrnæus Minervam volentem abstractam cecinit:

Ἀρπάζας ἐθέλουσαν εὐφρονα Τριτογένειαν.

Abstrahens (Diomedes) volentem sapientem Minervam.

Inquit Lib. X. v. 353.

Hæc si ita sint, perrexit ETASTES, quî sit, ut aliis Scriptoribus factum culpeatur, tanquam sceleratum?

Tydidēs sed enim, scelerumque inventor Ulysses

Fatale aggressi sacrato avellere templo

Palladium, cæsis summa custodibus arcis

Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis

Virgineas ausi Diva contingere vitæas.

Inquit Virgilius Æn. II. v. 163. seqq. Virgilius, regessit DULODORUS, hõc locõ Æneam Græcorum hostem inducit, quem quid mirum est factum carpere? Sed si hoc

displicet, non tamen displicebit, quod de lætitia dixi, quam procul dubio Diomedes sensit, cum voti se jam compotem juxta Palladium intelligeret: Herculem se ipsum ob Victoriam Olympicam coronantem, eodem modò in Numismate inter selecta Cardinalis Maximi cernimus: Eodem modò & sacrum Agonem, in Numismate Commodi Thesauri Electoralis Brandenburgici, quod & ipsum in specimine Cl. Morellii est: Non futili argumento, & Diomedem hinc adumbrari, eò modò, quò Palladio jam vicinus se voti & victoriæ quasi compotem sentiens, vel Deam propitiaverit, vel certè meriti Coronam sibi imposuerit. In sequenti Gemma 6. visitur

O B L A T I O

Primitiarum.



Gemma hæc, inquit ETASTES, mihi notabilis videtur; Quid enim si Nuptiæ per confarreationem, junctis coeuntium manibus, eâ exhibeantur? Nescio an assertum tueri possis, respondit DULODORUS. Et quidni? perrexit ETASTES. Annon Sponsa far frugesque in Altari ignibus imponit? Annon Sponsus affundit aquam? Annon iis, ad Sacri solennitatem, ritè augendam adest Tibicen, & velut Juno Pronuba, cum Sceptro, apportans canistrum frugibus plenum? Si dubitas, consule Lipsium ad Taciti Annales Lib. IV. c. 16. Consului Lipsium, inquit DULODORUS, sed nihil, quod ad rem facere posset, inveni. Nihil? mirabundus subjecit ETASTES. Annon farre Nuptias fieri dicit, cum per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem, per fruges & molam salsam conjunguntur? Annon confarrationem eò ritu ait perfici, ut aqua & igni adhibitis, duobus maximis instrumentis, Natura conjuncta videatur? Id fateor, reposuit DULODORUS, quid autem hoc ad Gemmam? Quid? regessit ETASTES, annon fruges? annon & aqua & ignis in Gemma ad oculum patent? Pateant, inquit DULODORUS, in Gemma tamen Nuptias confarreatas non evincunt; Cùm tamen & manus junctæ sint? excepit ETASTES; Neque enim lævas arbitraberis, cùm ceris expressæ dextræ forent, id quod Sculptor observare debuisset. Res dubia est, respondit DULODORUS, mihi sanè hæc manuum, non tam conjunctio, quàm lotio videtur, quam in Sacrificiis receptam, ex Hesiodo in Operib. docemur:

Μηδέ ποτ' ἐξ ἡοῦς Διὶ λείβειν αἰθροπα ὄϊνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

*Neque unquam manè Jovi libato nigrum vinum
Manibus illotis, neque aliis immortalibus.*

Si manus junctæ rem non conficiant, subjecit ETASTES, in reliquis nescio an firmi quid pro Nuptiis confarreatis invenire possim; neque enim Sellæ jugatæ, ovilique pelle instratæ, hîc visuntur: neque velata nubentium capita, quæ tamen & ipsa, Lipsio teste, ad Nuptias confarreatas requirebantur: Nec est quod Solis Pontificibus has cum Cl. Pfeiffero addicam, cùm hâc ratione causâ apertè casurus sim, utpote quòd ne minimum quidem Pontificii ornatûs vestigium in Gemma sit. Solis Pontificibus, reposuit DULODORUS, Nuptias confarreatas non addicerem: Imò nec Sellas ovili pelle instratas de essentia earum arbitrer, adeò ut hinc à me nihil metuendum sit: Quanquam, ut verum fatear, nec in habitu aliquid Nuptiale emineat; Uterque enim Sacrificantium distinctus est, non minus ac Tibicen, id quod nos admonere potest illius Virgilio,

Unum exuta pedem vinculis in veste recinctâ:

Ad quem locum Servianæ Schedæ Danielis: *Solent, inquit, & resolutoria Sacrificia ab Auspiciis fieri, & ad Junonis Lucina sacra non licet accedere, nisi solutis nodis.* Junonis? excepit ETASTES; At hæc in Gemma indubia est. Nihil minus, respondit DULODORUS, licet enim Sceptrum tale quid arguere videatur, indignum tamen foret, Dearum Deorumque Reginam canistrum frugibus plenum apportare, adeoque Sacrificii ministram agere. At, inquit ETASTES, præterquam Junoni resolutoria sacrificia non fiebant? Imò & aliis Diis, respondit DULODORUS, nam apud Tibullum El. V. L. I. Poëta:

*Ipsè ego velatus filo tunicisque solutis
Vota novem Trivia nocte silente dedi.*

Sceptrum, subjecit ETASTES, mihi firmissima basis est; Hoc enim nisi Deorum Reginæ non convenit. Et quis pro Sceptro, reposuit DULODORUS, indubiè hoc sumat? Idem sanè gestat apud Gortæum etiam in Gemma 16. fœmina laurum adurens, quæ procul dubio rustica est, mutuaturque lucem ex illo Tibulli:

*At Laurus bona signa dedit, gaudete Coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres.*

Nisi fallor, inquit ETASTES, caput etiam coronatum cernitur. Non aliter, respondit DULODORUS, ac apud Virgilium,

Copa Syrisca caput GRAJA redimita MITELLA:

Scil. fœminam quandam, rure fruges apportantem, hanc arbitrer. Sed id ad rem parum. Præcipuum contra Nuptias confarreatas argumentum, Spicæ sunt. Spicæ? mirabundus iteravit ETASTES. Has ego præcipuum argumentum pro confarreatione arbitrabar. Quo jure id feceris, inquit DULODORUS, ipse videris. Ad Nuptias confarreatas sanè non spicæ adhibebantur, sed FARREUM, à quo & appellatio descendit. Audi Plinium: *In Sacris, inquit, nihil religiosius CONFARREATIONIS vinculo erat, novaque Nuptia FARREUM præferebant.* Sit ita, excepit ETASTES, sed dilucidandum quid farreum sit? Farreum, regessit DULODORUS, si Festo credis, fuit Libi genus, ex farre factum. Dionysius Halicarnassæus ejusmodi Nuptias à farris commu-

nione, *κοινωνία*, *farracia* dictas author est: à communionem, inquam, id quod Rosinus & Stuckius eò intelligunt, quod Coniuges eodem farre vescerentur, & Victimam respergerent, quod utique in crudis frugibus credibile non est. Ulpianus rem clarius docet: *Farre, inquit, conuenitur in manum certis verbis, & testibus decem presentibus, & solemnibus sacrificio factò, in quo PANIS FAREEUS adhibetur.* En! panem farreum nominat, non spicas, quales in Gemma visuntur, adeò ut ex omnibus hactenus dictis luce meridianà clarius sit, non confarreationem hìc adumbrari, sed omninò frugum primitias offerri, non minus ac numero 101. & 209. De frugum primitiis, inquit ETASTES, res obscura non est, constat enim ex Porphyrio Lib. de Abstinencia 4. etiam priscis Atheniensibus id Sacrificii genus in usu fuisse; Et de more Romano est Tibulli versus:

*Ille Deo sciet agricola pro vitibus Uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.*

Ego autem de Nuptiis confarreatis plenius informari cupio. An harum inter Antiquitatis reliquias nulla prostat imago? Me iudice prostat, respondit DULODORUS, & quidem in sequenti Marmore:



Marmor hoc, subiecit ETASTES, à Sancto Bartolo inter Admiranda Romanorum delineatum vidi, meminique à Celebrissimo Bellorio esse illustratum; Sed ille, licet de Nuptiis fateatur, de Nuptiis confarreatis tamen ne verbum quidem habet. Et qui posset, respondit DULODORUS, cum in manu Sponsæ Turturem crederet, quem & Sanct. Bartolus delineavit? An res aliter se habet? interrogavit ETASTES. Habet, regessit DULODORUS; Pighius enim, ex cuius schedis hoc Marmor vulgamus, non Turturem, sed FARREUM in manu Sponsæ delineavit, apertò argumentò, Nuptias confarreatas in Marmore exhiberi. Pighius, inquit ETASTES, Marmor mutilum dedit, at Sanctus Bartolus dedit integrum. Quid inde colligas, si non majorem Bartolo quam

quàm Pighio fidem esse habendam? Imò contra, respondit DULODORUS. Bartolus Pighio posterior fuit, cùmque Marmor jam Pighii ætate mutilum fuerit, quomodo potuit à Bartolo integrum delineari? Annon hinc patet, Bartolum fragmenta supplevisse, adeòque fidem ejus Pighio inferiorem esse? Solemnem Nuptiarum hinc ritum adumbrari, inquit ETASTES, negare non ausim. Sponsus & sponsa invicem dextras jungunt, hæc flammeo velata, Ille capite detecto: Pronuba Juno utrumque amplexa connubio jungit stabili: Adest Hymenæus, seu Puer genialis, præferens facem. Ad aram Sponsus velato capite sacrificat, Sponsa autem capite detecto visitur, adduciturque ad aram Ovis: sequitur mulier cum ferto, quò postes ornabant, inde nuncius volumen Nuptialis carminis tenet, ultimaque est Concordia sive Cybele, cujus vim generationi inesse credebant. Cautè incedis, excepit DULODORUS. Notandum autem, Sanctum Bartolum ante aram virum, sacrificantem & è canistro flores & poma, in Nuptiis spargi solita, depromentem finxisse, quòd in nostro deficit: Notandum, ad columnas eum Camillum cum acerra, & Tibicinem fecisse, qui licet eos non negemus, tamen in nostro Marmore nosci non possunt: Notandum, figuras retrò sponsum & sponsam à Bellorio determinatas non esse, quos tamen pronubos & pronubas, haud forsan ab ratione credimus. De his si plura desideres, adi Eruditissimum Pfeifferum in Antiquitatibus Græcis L. XII. c. 13. Non hoc me angit, inquit ETASTES. De Ove vellem audire; Hanc enim non Talasionis tantum ac lanificii fuisse argumentum, sed & sacrificio oblatam, Bellorius arbitratur, cùm tamen in Nuptiis porcam mactare, solenne fuerit. Id Nuptiarum initio fiebat, respondit DULODORUS. Ita enim Varro L. II. de re Rust. *Nuptiarum initio antiqui Reges ac sublimes viri in Etruria in conjunctione Nuptiali nova Nupta & novus Maritus primum PORCAM immolabant.* Imò ante Nuptias, uti ex Jul. Polluce, L. III. Onom. c. 3. n. 4. patet. Ἡ ἢ *πρὸ γάμου θυρία, προτέλεια καὶ προγάμεια.* *Προπλεῖσθαι ἢ ἐλέγοντο ἔ μόνον αἱ Νύμφαι ἀλλὰ καὶ οἱ Νύμφιοι, &c.* *Sacrificia ante Nuptias facta προτέλεια primordia & προγάμεια, ante Nuptialia, vocantur. Initiari verò non modò Sponsæ, sed & Sponsi dicebantur.* Vides ETASTA, Sacrificium Porcæ, Sacrificium Ovis non excludere, non minus ac Tauri aut Vaccæ. Ut enim illam Veneri, ita Taurum Jovi & Junoni, Vaccam Lucinæ, Concordiæ Ovem videntur obtulisse: Idque secundum Senecam Tragicum in Medea, ubi Chorus:

*Ad Regum thalamos Numine prospero,
 Qui cælum superi, quique regunt fretum
 Adsint, cum populis ritè faventibus.
 Primus SCEPTRIFERIS colla TONANTIBUS
 TAURUS celsa ferat tergore candido:
 LUCINAM nivei FOEMINA corporis
 Intentata jugo placet, & asperi
 Martis sanguineas quæ cobibet manus,
 Quæ dat belligeris fœdera Gentibus,
 Et CORNUI retinet divite COPIAM,
 Donetur TENERA mitior HOSTIA.*

Appositè hoc, inquit ETASTES, ad Corcordiam in Marmore expressam. Cornu sanè, cum divite copia, ea apertè retinet, quid autem turrata est? Corona turrata, respondit DULODORUS, Cybeles indicium est, ut rectè censet Bellorius, ejus enim index est & Nux pinea in cornu copia: Neque miraberis ejusmodi conjunctionem, cum diverforum Deorum insignia in signis Pantheis notissima sint. De Ove autem omninò est notandum, etiam in hoc pro Nuptiis confarreatis argumentum latere, modo verum sit, quod Lipsius observat: *In Nuptis confarreatis Sellas fngatas Ovili pelle instratas fuisse, ejus Ovis, quæ hostia fuerit.* Sed ad alia pergimus. In Gemma 673. est

I D O L U M S O L I S.



Cautius agerem, inquit ETASTES, simulacrum agnoscendo basi insistens, Pileo, Face & Clypeo instructum, ad quod accedit mulier item pileata, crinibus passis. An hoc non sufficit? Non arbitror, inquit DULODORUS, hoc enim est verba dare, non causam, non originem inquirere. Sed, exceptit ETASTES, unde Tu simulacrum hoc, Idolum Solis probabis esse? cum tamen nullibi Sol hòc modò adumbretur? Nullibi? subjecit DULODORUS, at non multum differunt simulacra Mithriaca. Taurum ea mactare solent, reposuit ETASTES, non Facem, non Clypeum præferre. Addo & Pilei differentiam: In simulacris Mithriacis Phrygius esse solet, in proposito autem Græcus videtur. De Pileo facilè Tibi cesserim, perrexit DULODORUS, cum non Ulysses tantum, sed & Dioscuros talibus insignes videam; Cum autem in Dioscuris Pileus quibusdam alterum Terræ hemispherium designet, quidni idem statuamus in hoc Idolo Solis, cum Sol alterum tantum hemispherium fulgore complectatur? Quid autem de face dices? subjecit ETASTES. Annon hæc Phosphorum potius aut Hesperum designabit, quibus in Tabulis Mithriacis Lampades dari in confesso est? Si Lampas sola esset, regessit DULODORUS, assurgerem placito: Cum & Clypeus junctus sit, pro Sole decernendum arbitror; Soli enim & facem & Clypeum datum, apud Martianum Capellam, de Nuptiis Philologiæ, me legisse memini. De simulacro Solis inter cætera, *Sinistrà autem manu, inquit, Clypeum coruscantem, dextrà ardentem Facem præferbat.* Martianus Capella, inquit ETASTES, non facem tantum, & Clypeum Soli tribuit, sed & Coronam radiatam, Gemmisque pluribus ornatam, pedesq; alatos, & pallium coccineum, quæ in nostra Gemma non visuntur. Qualiverò, respondit

spondit DULODORUS, omnia Solis ornamenta necesse fuerit effingere? Annon suffecerint præcipua? *Fax & Clypeus*, quorum illa ardorem, hic figuram ejus denotat? Ita enim Interpres Capellæ: *Per Clypeum*, inquit, *formam accepimus, qua nobis videtur ancilis modum non excedere. Clypeus autem dicitur à Græcorum κλέπω Σώματα, sive ab eo quod est FURARI CORPORA, vel à CLUO, quod est DEFENDO. Facem autem ejus intelligemus multitudinem ardentium; Sed & illud notandum, in Gemma Idolum hoc eodem modo insignia hæc gestare, quò & Sol apud Capellam, dextrâ scilicet facem, sinistrâ autem Clypeum. An hoc, exceptit ETASTES, certâ ratione, an temerè factum sit? videtur adhuc dubitari posse: Imò non potest, respondit DULODORUS, Ita enim pergit item Interpres. Quod hanc (scil. facem) Sol in dextrâ, illum autem (Clypeum) in sinistra habet, modum armis sustinendis servavit, vel fortè quia Clypeum semper secum tenet, facem autem amittere debet, atque ideo dextrâ, quæ agilior, ea sustentatur. Quicquid sit, inquit ETASTES, Coronam radiatam, & alatos pedes, & pallium hic deesse video. Quod ad alatos pedes attinet, regessit DULODORUS, hos nullibi Solis simulacra præferunt, & si vera sit hypothesis eorum, qui Solem stare, Terram autem moveri perhibent, nesciò quid alæ Solis simulacris affectæ, denotare possint? adeò ut hinc apertè constet, alatos pedes necessariò non requiri, affingi tamen posse, ut celeritas motûs adumbretur, quæ Soli communiter tribuitur. Ad Coronam radiatam quod attinet, ea apud Martianum Capellam aliud non videtur indigitare, quàm duodecim-menses; ideo enim duodecim radiis, & totidem Gemmis, dicitur insignis esse. Cùm autem annum in menses distinguere, secundaria Solis operatio sit, utique constat, coronam radiatam præcipuis Solis ornamentis accenseri non debere, idque eò minus, quò clarius in simulacro extensa fax operationem primariam refert, Lucis scilicet, sine qua Sol ne intelligi quidem potest. De Pallio non arbitror pluribus dicendum. Ipse enim ab Idoli tergo etiam in Gemma id videas dependere. In Annulo 201.*

V I T A

Justorum, militia



Adumbratur; Nam Caligam militarem hanc esse facile credidero. Id mirum, inquit ETASTES; Quid enim militaris Caliga ad fœminam Christianam? In B. Agnetis Cœmiterio Annulum hunc inventum, Bolius testatur in Roma subterranea, ex qua Annulus

Ius defunctus est: Indeque, quid si non Caliga militaris hæc videatur, sed Solea, quam apud Veteres fœminis in usu fuisse, Balduinus latè demonstrat? Non assentior, respondit DULODORUS, Caligam enim militarem clavi, in eo apertissimè notati, arguunt: Clavi, qui in solea propriè sic dicta non occurrunt, quibusque, tantùm non solis, à solea militaris caliga distinguitur. Negare non ausim, excepit ETASTES; apud allegatum enim Balduinum caligam militarem clavis suffixam vidisse memini; Quid autem hoc ad fœminam Christianam? Ut innuatur, regessit DULODORUS, Justorum, ut dixi, vitam militiam esse: Militant nempe contra peccatum, contra Satanam, & contra propriam carnem. Hanc Justorum militiam esse, perrexit ETASTES, inficias non îerim; Cur autem Caligæ militaris ea symbolò præfiguretur, non video. Quidni potius vel Casside, vel Thorace, vel Clypeo, vel Gladio, notioribus militiæ insignibus? Ratio in promptu est, reposuit DULODORUS: Nihil in Sacris communius est, quàm vitæ cum ambulatione comparatio; Ad vitam igitur, & quidem militiæ plenam, exprimendam, quod symbolum concinnius eò, quod ambulationis & quidem militaris instrumentum est? Ita ad vitam militarem symbolum reducitur, insit ETASTES, an autem ad vitam Justorum? dubitem. Quod dubites, subjecit DULODORUS, causa non est, cùm utique inscriptio JUSTUS rem apertè determinet. Quasi verò, inquit ETASTES, vocabulum hoc necessariò appellativum sit, quid si nomen proprium? Et quidem ejus, qui Annulo hoc signavit? Id locus respuit, regessit DULODORUS; Vix enim credibile est, profani militis insigne in Virginis Christianæ sepulchro conditum fuisse. Sed ecce! In Annulo 202.

S A L U S Christianorum



Se sistit. Etiam hunc Annulum proponis? inquit ETASTES. Quæ rei ratio? An satis dilucidatus non est? Atqui Annulus Christianus cum salutari nomine ex Roma Subterranea vocatur: Et quid addi poterat? Multa, respondit DULODORUS; Quanquam præcipua causa, ut denuò proponendum censeam non tam obscuritas sit, quàm Sculpturæ in recuso Goræo, ab eo differentia, qui in Roma subterranea exhibetur. In recuso Goræo, loco Serpentis puer alatus cruci adstans exprimitur, subscriptumque vocabu-

vocabulum SALUS omninò omittitur, cum tamen in Roma Subterranea Annulus hic eò planè modò occurrat, quò hic eum delineatum exhibeo. Si hoc ita sit, exceptit ETASTES, optimè sanè facis, quod Publico illudi non sinis; Ipse enim dubius fui, quí Cupido ad Crucem Christianam quadraret? Cupido mihi non videbatur, reposuit DULODORUS, sed vel Angelus, vel Anima. Bofius autem, & Aringhius, aliter docuere. Serpens, perrexit ETASTES, Cruci salutiferæ apprimè quadrat, non tantum quòd symbolum is Salutis etiam Ethnicis fuerit, sed etiam quòd æneum illum Serpentem, Christi Prototypon, designare possit, cujus adspectus à morsu Serpentum igneorum Israelitas salvos præstitit. Ratio hæc, subjecit DULODORUS, mihi potior videtur, quàm Aringhii, qui ad Sathanam, veterem illum Draconem, virtute Crucis devictum respicit; licet enim in Numismatibus eum sub Cruce aliquando occurrere, non negem, Æneum tamen Serpentem subscriptio arguit. Columbæ, infit ETASTES, adhuc dubium movent, videlicet annon Serpens hic ad has pertineat, junctisque his exprimatur Servatoris præceptum: *Estote prudentes ut Serpentes, & simplices ut Columbæ?* Aringhius etiam hanc rationem adducit, respondit DULODORUS, cum autem eodem demonstrante Columbæ Piorum symbolum sint, & 12. Columbæ, in alio monumento Cruci tesselata appositæ, duodecim Apostolos designarint, nihil dubitarem etiam hic Pios intelligere, Christi scil. crucifixi fiduciâ salvos. Fortassis, inquit ETASTES, ut in allegato 12. Apostolos, ita & hic Mariam & Johannem, quos Christus Cruci affixus allocutus memoratur. Nisi omnium piorum, respondit DULODORUS, hos locum arbitreris tenere, non dixeris; Non enim hi tantum, sed omnis Piorum coetus, meritò Christi Salutem spirant: Christi, qui ut æneus Serpens, ita & α & ω , quæ afficta sunt, id est, principium & finis est, ut ipse se vocat, in Apocal. Joh. Hoc obscurum non est, inquit ETASTES, imò nec monogramma; tali enim Christi nomen in Numismatibus Imperatorum Christianorum frequentissimè pingitur, sed huic Monogrammati adhuc litera T. videtur imposita. Hæc quid quæso designet? Ipsam Crucem, respondit DULODORUS, de qua re cum Docti sufficienter docuerint, ego taceo; præsertim cum in Annulo 5. & Gemma 83. enodandum sit,

FIDES PUBLICA
Cur Spicas & Galathum cum frugibus præferat?



E

Ratio

Ratio incognita non est, exceptit ETASTES. Augustini sententia innotuit. Innotuit & Tua, qui rejecto Augustino Fidem respectu Personarum publicam dici statuis, fideiq; proprium esse asseris, ut ea rerum publicarum felicitatem contineat. Innotuit & eorum, qui fruges fidei publicæ ideò affectas arbitrati sunt, quòd in Sacris ei fuerint oblata; Sed mihi nihil horum satisfacit. Fides enim publica non alia videri potest, quàm cui contrarium dicit Quintilianus in Declamatione XII. *Non enim vulgaris ista labes frumenti fuit, nec qualis aliàs ab Agriculis accusari solet, perfidia terrarum, & ingrata messis irritus labor.* Et de qua Plinius L. II. Hist. Nat. c. 63. terram laudans, quàm bonâ fide creditum fœnus reddidit. Quid clarius ad rem dici potest? Nihil video, inquit DULODORUS. Ex Cicerone ego, fidem *dictorum conventorumque constantiam & veritatem* didici definiri, indeque appellatam, quod fiat, quod dictum est: Quæ autem conventa, quæ dicta, adeoque quæ Fides terrarum, propriè intelligi possunt? Annon ex his Ciceronis apertissimum est, fidem de terra allegatis in Quintiliani & Plinii locis impropriè & κατὰ χρευσιν usurpari, adeoque simulacro causam dedisse non posse? Aliter cum Cicerone Sallustius non uno in loco. Fidem publicam eam appellat, quam personæ publicæ præstant. L. Tarquinius, inquit, in Senatum adductus, cum se diceret de Conjuratone indicaturum, si FIDES PUBLICA data esset, iussus à CONSULE, que sciret, edicere. Fides publica, exceptit ETASTES, hòc locò pro eo sumitur, quod vulgò *salvum conductum* vocamus, quid autem hoc ad figuram fidei publicæ cum spicis & calatho frugifero, in Gemmis & Numismatibus expressæ? Minimum, respondit DULODORUS, illud ex hoc loco patet, fidem publicam à Personis publicis præstari solere; Fides enim publica à Consule, & postulata & data memoratur: Consulem autem Personam publicam esse quis ignorat? Aliter mihi videtur, subjecit ETASTES; Spicæ enim & calathus in fide publica quidni personarum etiam privatarum, & rerum æque privatarum privatorumque esse possint? Non arbitror, regessit DULODORUS, quàm utique ipsum fidei hujus Epitheton privatos amoveat. Id adeò verum est, ut ne quidem eò sensu hæc Privatorum esse, opinari possimus, quòd per fidem publicam privatis tribuantur; ex quo enim tributa sunt, fidei publicæ esse desinunt. Potius Fides publica hoc in schemate ideò & canistrum frugibus plenum credi debet præferre, quòd Personæ publicæ ad tribuendam Reipublicæ felicitatem se obligare soleant. Hæc equidem dicis, inquit ETASTES, sed velim etiam probes. Unicò, subjunxit DULODORUS, testimoniò rem perfecero. Quid dices ad Numisma Plotinæ, quod hìc appono,



Jamdudum ab Angelono vulgatum? Annon in hoc eadem Fidei publicæ figura, quæ & in Gemma, & aliis Numismatibus visitur? At hæc non FIDES TERRARUM, non fides privatæ alicujus vel Personæ vel rei, sed FIDES AUGUSTI inscribitur, Augusti, qui ut publica persona est, ita & publicè se obligare solet: Et ad quid? Nonne ad felicitatem publicam & procurandam & conservandam? Felicitatem publicam, inquam, cujus fruges & spicas symbolum esse, ad Gemmam Gorlæi VI. utique indubium est. Hæc si ita sint, inquit ETASTES, quid judicii feram de Gemma ea, in qua fulmen fidei publicæ junctum est? Annon hoc factum est, ut ab aère dependere id totum intelligeretur? Tuæ hypothesei inservis, respondit DULODORUS, reverà autem fulmen, symbolum Providentiæ est, uti in vulgus patet: Et quàm concinnè Providentiæ, fidei publicæ, sive Augusti jungitur, cùm hujus ex providentiâ felicitas publica exsurgat? Sed hæc hæctenus. Colophonis loco subjicio

VULGARIA QUAEDAM.



Si vulgaria sint, inquit ETASTES, quid necesse est ea denuò adducere? Vulgaria sunt Peritis, respondit DULODORUS, cùm autem Libri ejusmodi non his tantùm, sed & aliis publicentur, præcavendum utique, ne quis rerum minus adhuc peritus in errorem inducatur. Pastor in *priore* Gemma Caprum, animal arboribus noxium observat, adeoque non tantùm pascit, sed & cavet, ne quid detrimenti det. Mira sapientia! exclamavit ETASTES, quasiverò non id potius hïc exprimitur, quod Hyginus fab. 274. *Caper vitem, quam prærosferat, plenius fructum protulit, unde etiam putationem*

invenerunt; Annon enim hoc, sicut ab Hygino de Vite narratur, ita ab aliis de Olea & narratum & creditum videtur? certè à Scalptore Gemmæ nostræ, & tot aliarum? Rationes hæ, regessit DULODORUS, liceat fateri quod res est, sanè perquam fragiles sunt; Quis enim non videt, aliud statuendum in Capro vitem rodente, aliud in Capro arbori infesto? Vitem quòd roserit Caper, uberrimas uves provenisse, Hyginus apertè ait, indeque putationis, vitium scil. originem arbitratur descendisse: Quanquam hoc, Pausaniâ in Corinthiacis teste, Naupliæ incolæ de Asino memorârint. Sed esto! credamus de Capro; Talem enim & in sequenti MSCTi Pighiani Marmore cernimus



Sed an idem etiam extendere licebit ad Oleam, aliasve arbores? Neutiquam! Hæ enim à Capris arrosæ non feraciores fiunt, sed damnum capiunt & emoriuntur, id quod in Thesauro Elect. Brandenb. & ex Plinio & ex Theocrito demonstravi. Hæc cum ita sint, utique nec putationem inde deducere licebit, nec etiam causa erit, cur me pœnitere debeat sapientiæ illius miræ, quâ officium pastoris his in Gemmis adumbrari dixi, quòd scilicet non sufficiat, ut greges pascantur, sed videndum etiam sit, ne quid detrimenti dent. Optarem potius, ut simili etiam alii uterentur, calamoque tutius agerent, nec tantum cupidas aures pascerent, sed & sedulo caverent, ne sanctissimis veritatis fontibus aliquid damni inferrent. Ex hæcenus dictis, exceptit ETASTES, à vulgata sententia dimoveor. Imò etiam ex dicendis, respondit DULODORUS; Quid enim est, quòd in Gemma *secunda*, Hora statuitur, allegatis in rei fidem, Angelono & Ant. Augustino, cum tamen apud utrumque globus, quem figura hæc præterdit, deficiat? Scil. non Hora hæc est, sed Æternitas, quæ eòdem planè modò, quo hic visitur, cum velo scil. circum caput volitante, & globo dextrâ prætenso, in Nummo Faustinae apud Biaum T. 43. ÆTERNITAS inscribitur. Sed quid ad Gemmam *tertiam*? quæsivit ETASTES. Caput hoc, respondit DULODORUS, Libero Patri addicitur, cum tamen floribus redimitum sit, adeoque non Bacchum, sed Floram apertè referat. In *quarta* Gemma, subiecit ETASTES, Sphingem typum Ægypti video, an etiam hic opinionem carpis? Carpo, subjunxit DULODORUS; Sphinx enim alata est,

est, quales Ægyptiæ non fuere. Potius ad Augustum referrem, qui Sphinge pro sigillo usus, Suetonio memoratur: Nisi etiam ad Chios respicias, qui Sphingem ob Homeri Natales etiam Numismatibus expressere: Aut in ænigmatum involucris subsistas, quæ Sphingis simulacro expressa, Eruditi jam dudum observarunt. An idem error, interrogavit ETASTES, etiam in Marte est, qui in Gemma quinta visitur, nam & hunc Te producere video? Ideo id fit, subiecit DULODORUS, quia, procul dubio ob adjectum Scorpionum, aliquis Africanorum eò creditur notari, cum tamen stella in Clypeo, Martem Planetam hinc exprimi, aperte arguat: Martem inquam, de quo, uti jam in Spicilegio monui, Manilius cecinit:

Mavortis Scorpionus haret.

Quid clarius ad Gemmam dici potest? Fateor, inquit ETASTES, & jam gestio etiam de reliquis Tuam sententiam audire. In Gemma sexta, excepit DULODORUS, agnoscunt Leonem cum Gallinaceo, super quem transfiliat: opinanturque, eos simul decurrere; cum tamen Gallinaceus lento omnino passu procedat, productoque collo & capite protenso, cantantis speciem referat, adeo ut Leonem Galli cantum formidantem, id quod vulgo innotuit, quin Gemma adumbret, ne dubitare quidem possis. Res aperta est, inquit ETASTES, & miror animadversam non esse. In Gemma septima, perrexit DULODORUS, non minor negligentia est. Salutem arbitrantur, citato n. 39. Sed magna utrinque est differentia. Numero 39. Serpens bacillo circumvolvitur, sed hinc capite deorsum verso papillam mordet, adeo ut Cleopatram hanc, aut aliam quandam Aspidis morsu deficientem foeminam omnino agnoscere debeamus. Nisi fallor, excepit ETASTES, etiam ex vultu moribunda intelligitur. Quid autem Gemma octava, nonne Avem ea expressam cum Gorgæus alitem Jovis explanaret, ex rostro corvum esse, acute omnino demonstratum est? Cornicem ego statuo, respondit DULODORUS, qui Concordiæ Maritalis symbolum fuit. Hoc ut arbitrer, adjectum sceptrum mihi suadet, cum hoc Junonis insigne sit, Nuptiarum Præsidis, id quod pluribus apud Gyraldum deducitur. Sed alia succedunt:



In prioribus, subjecit ETASTES, Herculem video, quid autem hic erratum sit, non video. At faxo ut videas, regessit DULODORUS. In *prima* Gemma Hercules à Pomo Hesperidum petito redux statuitur, cum tamen Hercules hic, non Pomum, sed Pateram prætendat, adeoque Herculem sacrificantem adumbret, qualis & in Gemma *secunda* ad aram visitur. Si Patera & Pomum discerni non potuere, at ex fabula debuisset innotuisse, Herculem tria Poma ex hortis Hesperidum retulisse, quot etiam in Numismate Hadriani Hercules Gaditanus præfert. De Sacrificio, inquit ETASTES, res nota est; In Gemma *secunda* enim Hercules in Oeta sacrificans exhibetur: nisi, quod habitus non conveniat, potius ad eum respiciendum arbitraris, qui in Græcia Goltzii T. 3. sub titulo ΧΑΩΝΙΤΩΝ proponitur, vel ad Tyrium apud Vaillantium T. II. pag. 69. In Numismate ΧΑΩΝΙΤΩΝ, respondit DULODORUS, Hercules non stat, nec pateram præfert, sed pelli Leoninæ insidens, ex Scypho liquorem fundit, proserpente, à pedibus hederâ: adeo ut liquido constet, ad Herculis bibacitatem id Numisma referendum esse. Tyriorum Hercules in Nummo Macrini effectus est, eodem quidem modo, quò in Gemma prima visitur; Cum autem non se, sed Tyrios referat, pro Salute Principis sacrificantes, ea autem consideratio in Gemma locum non habeat, omninò censerem, Herculis pietatem hic adumbrari, quâ in Italia, Cacò interfectò, & ab Evandro agnitus, Jovi patri aram erexisse & sacrificasse, Antiquitatum Romanarum Scriptoribus memoratur. Sed hæc levia sunt. An reliqua graviora? interrogavit ETASTES? Sunt, respondit DULODORUS; Quis enim ad Gemmam *tertiam* credat, Herculem Antæi pelle amictum, cum Patera frugibus plena ad Sacrificandum procedere? At, inquit ETASTES, nisi fallor Tristanus assertum fulcit. Tristanus, reposuit DULODORUS, Herculem paciferum cum ramo Oleæ exhibet, sed cum pelle Antæi non exhibet. Antæum enim Hercules pelle spoliâsse non legitur, sed legitur eum suffocasse, id quod & in Gemma *quarta* facit. In Gemma *quarta*? subjecit ETASTES; At raptum in hæc vel puellæ adumbrari, vel pueri credebam. Antæum, excepit DULODORUS, ab Hercule suffocatum hoc schemate adumbrari, non tantum ex fabula constat, quâ sublimem è terra, ulnisque elisum Hercules interemisse, Apollodoro memoratur; sed & ex Numismate HERCULI LYBICO inscripto, in quo licet directus, medium tamen apprehendit, & è terra sublimem suffocat: Ut taceam MSCtum Pighianum, in quo eodem ferè modo aliquoties occurrit, eò ubique Antæi, utpote morientis, angore & vehementia, qualem & in Gemma ad oculum cernimus. Ad Gemmam *quintam* transeamus, inquit ETASTES, mirum si & hic erratum fuerit, Liceti enim placita innotuere, & si probari meruissent, utique ab iis non debuisset recedi. Rectè iudicas, respondit DULODORUS; Cum autem recessum sit, apertum est, ea probata non esse. Asinus hic palleatus ad duos palleatos accedens statuitur, cum tamen non duo palleati, sed omninò duæ foeminae, aut verius foemina cum Ancilla, in Gemma ex habitu noscantur, adeoque planum sit, omninò cum Liceto sentiendum esse, qui Apuleji in Asinum mutati petulantem lasciviam agnoscit, quâ mulieribus ostensus adeo placuit, ut & concubitum ejus licitarentur. Aperta sunt, & propositæ Gemmæ convenientissima Apuleji verba. Quod contra adferam, inquit ETASTES, non habeo. Quid autem ad Gemmam *sextam*? An falsum est quod dicitur Proserpinam ea exhiberi?

beri? Utique mala Punica eam apertè demonstrant? Opinioni non refragabor, subjecit DULODORUS: Addo tamen, concinnius hanc, Venerem credi, eò quòd mala Punica hæc in Cypro sevisse memoretur. Ita sanè planum erit, non tantum, cur mala Punica, sed etiam cur ramum in Gemma præferat, sive Balauſtii is sit, sive Myrti, Veneri sacratæ. Res credibilis est, excepit ETASTES, an autem eadem felicitate ad *septimam* Gemmam usurus sis, dubitem; Quid enim? Annon Bacchi fatelles hic est? & quidem cum Lynce, cui videtur vinum defundere? id quod eò planè modò fit, ut in Sidonis Nummo sub Al. Severo, apud Patinum & Vaillantium. Immanè quantum, hæc Gemma, respondit DULODORUS, à Sidonis Nummo distat. In hoc enim non Bacchi fatelles, sed Bacchus ipse cernitur: Cernitur Lynx, aut potius Pardalis, cum apud Gorlæum apertè canis sit: Bacchi hasta in Numismate pura visitur, in Gemma autem ferrata est: Bacchus ex Cantharo liquorem effundit; At figura proposita aliud quoddam instrumentum præterdit, Falci haud absimile. Ego potius ex Cane & jaculo Cephalum hunc crederem; Licet enim hic n. 37. Thorace indutus prodeat, in Spicilegio tamen meo ex Pighii MSCto aliter visitur, adeò ut Artifices in his variâsse, dubium non sit. Si Bacchum desideres, eum in Gemma *octava* statuerem. Ganymedem, inquit ETASTES, hunc arbitrabar, & quidem cornu effundentem. Cornu, respondit DULODORUS, Bacchi poculum esse, ad Gemmam Theſ. Elect. Brandenb. latius demonstravi, cumque in hæc Gemma etiam Palla concurrat, quæ & ipsa Baccho datur, utiq; conjectura fortasse non futilis nascitur, hastam cui pileus impositus videtur, Thyrsus esse, adeoque Gemmam Baccho, quàm Ganymedi concinnius addici. Sed contraho vela; Vereor enim ne vel sic Tibi videar gravior fuisse. Qui veritatem absque acrimonia inquirat, inquit ETASTES, non nisi malevolis gravis est. Mihi tua opera perquam jucunda fuit, indeque debitas Tibi gratias lubens persolvo. His dictis DULODORUM reliquit, & ad sua regressus est.



